DE SYNTAXI TIBULLIANA.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINI

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

WIRCEBURGENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

OBTULIT

JOSEPHUS STREIFINGER.

WIRCEBURGI.

IN AEDIBUS ADALBERTI STUBERI.

MDCCCLXXXI.

Praefatio.

A. Draegerius, vir doctus, cum abhinc octo annos illum librum omni laude dignum ederet, quo syntaxin latinae linguae ita enarrare conatus est, ut eius processus ab initio persequeretur, et quae cuiusque aetatis et scriptoris essent propria ostenderet, etsi munus, quod susceperat, cum illud supra unius hominis vires esset, non plane esse a se absolutum haud nescivit, tamen non inutilem se subisse laborem, immo aliis quasi lucernam praetulisse iure persuasum habuit. Totum enim illud opus, cuius libro, quem modo dixi, quasi fundamentum iactum est, non poterit perfici, priusquam uniuscuiusque scriptoris genus dicendi accuratissime indagatum atque expositum erit, id quod non facile ad effectum veniet, nisi complures eorum, qui artibus liberalibus student, pro viribus ad illud conferent. Imprimis autem poetae adhuc industriam curamque nostram desiderant[1]), a quorum nonnullis iis dico, qui Augusti aetate erant, Vergilio Tibullo Ovidio Propertio, oratio prosa argenteae quae vocatur aetatis proprium illum habitum accepit, quo ab aureae aetatis oratione mirum quantum differt.[2]) Praeterea hac in re illud potissimum est respiciendum, immutationes linguae latinae magis e studio litterarum graecarum quam ex ingenio romano ortas esse. Quod paucis significare satis erit.

Quanta igitur apud Romanos humanitatis ac litterarum studia per tot saecula neglecta et quasi inculta inde a sae-

[1]) cfr. Draeger, hist. Synt. I, pag. VI.
[2]) cfr. Draeger, hist. Synt, I, pag. XVI.

Praefatio.

A. Draegerius, vir doctus, cum abhinc octo annos illum librum omni laude dignum ederet, quo syntaxin latinae linguae ita enarrare conatus est, ut eius processus ab initio persequeretur, et quae cuiusque aetatis et scriptoris essent propria ostenderet, etsi munus, quod susceperat, cum illud supra unius hominis vires esset, non plane esse a se absolutum haud nescivit, tamen non inutilem se subisse laborem, immo aliis quasi lucernam praetulisse iure persuasum habuit. Totum enim illud opus, cuius libro, quem modo dixi, quasi fundamentum iactum est, non poterit perfici, priusquam uniuscuiusque scriptoris genus dicendi accuratissime indagatum atque expositum erit, id quod non facile ad effectum veniet, nisi complures eorum, qui artibus liberalibus studeant, pro viribus ad illud conferent. Imprimis autem poetae adhuc industriam curamque nostram desiderant[1]), a quorum nonnullis iis dico, qui Augusti aetate erant, Vergilio Tibullo Ovidio Propertio, oratio prosa argenteae quae vocatur aetatis proprium illum habitum accepit, quo ab [illegible] aetatis oratione mirum quantum differt.[2]) Praeter[illegible] re illud pot[illegible] mum est respiciendum, immutat[illegible] e latinae [illegible] e studio litterarum graecarum [illegible] genio [illegible] tas esse. Qu[illegible] ncis signifi[illegible] rit.

Quanta [illegible] apud Ro[illegible] nitatis [illegible] studia pe[illegible] ula [illegible]

[illegible]

culo septimo exeunte brevis temporis spatio ceperint incrementa, eorum, qui litteris latinis studii aliquantulum impenderunt, neminem fugit. Ex quo enim tempore Romani Graecorum disciplinam sequi ad eorumque exemplaria se applicare coeperant, tam praeclara et vinctae et solutae orationis opera in lucem protulerunt, quae iure aeterna memoria digna habeamus. Ac si verum est id quod nemo dubitat, ita Romanos Graecorum pressisse vestigia, ut non solum singula litterarum genera ab his inventa facile amplecterentur, sed etiam res et argumenta suorum librorum ex graecis fontibus non raro repeterent, quis est, qui iure miretur, eam rem in ipsam latinam linguam vim habuisse? Quod cum in orationem prosam cadere putandum est, ut Kuehnastius illo libro, qui ‚Livianische Syntax' inscribitur, satis luculenter exposuit, tum de poetarum dicendi genere vel maxime dici debet. Permultae enim apud hos inveniuntur verborum structurae a solito dicendi usu discrepantes, quae similitudinem locutionum graecae linguae propriarum habent atque inde sumptae esse videntur. Itaque cum hoc libello, quae de syntaxi Tibullianae orationis memorabilia videntur esse, componere conatus sim, ea ratione usus sum, ut quotiens graeca lingua eandem vel similem ac Tibullus habet locutionem, has inter se conferre studerem.

Secutus sum editionem Aemili Baehrensi, quo post Lachmannum de crisi Tibulliana neminem melius meruisse arbitror. Cum enim Lachmannus, qui primus carminum Tibulli editionem critico apparatu instructam curavit, quinque potissimum codices adhibuisset, Eboracensem (A), Parisinum (B), tres alios multo deteriores, quorum consensum littera C significavit, neque ii, qui post Lachmannum Tibulli operibus operam dederunt, viri docti alia criseos Tibullianae subsidia inquisivissent, nisi quod excerpta quae vocantur Tibulliana indagarunt, Baehrensi studio contigit, ut tres codices adhuc parum aut omnino non cognitos inveniret, Ambrosianum (A), Vaticanum (V), Guelferbytanum (G). Quibus codicibus doctus ille homo, etsi iis innixus nova editione emendationem carminum Tib. aliquanto promovit, tamen nimium tribuisse videtur.

Cum enim suos tantum libros, quorum duos A V de communi fluxisse archetypo, tertium G ex alio fonte traxisse originem atque omnium longe potissimum esse censet, ad constituendum Tibulli textum conferendos esse demonstrare studeret, Lachmannianos codices, qui recentiores atque multifariam a doctis Italis interpolati essent, plane inutiles declaravit. Contra Rothsteinius laudabili cum diligentia gravibus argumentis docere conatus est,[1] etiam posthac tres codicum classes Lachmanni A B C repraesentatas fundamentum criseos Tibullianae retinendas esse, ita tamen, ut A V Baehrensi, qui ex eadem ac cod. B Lachm. stirpe essent nati, conferrentur, quippe cum illa textus forma, quae secundae classis propria est, Baehrensi A V sincerius tradita esset quam Lachmanni B.[2] Longe aliter de Guelferbytani pretio et auctoritate iudicat, cum eum in numero deterrimorum ducat. Quae enim recte in eo sint emendata, maximam partem a viro quodam docto ex alio codice esse sumpta, multa etiam interpolationis signa prae se ferre. Quae controversia etsi argumentis a Rothsteinio allatis nondum ita possit disceptari, ut nil in incerto relinquatur, tamen hoc loco alienum esse videtur, eam accuratius examinare.

Ad Corpus autem carminum Tibullianorum quod attinet, de primi et secundi libri et primi epigrammatis, quod in libris manuscriptis post Sulpiciae epistulas invenitur, origine Tibulliana nemo dubitat.

Lygdami autem elegias, quae in editionibus tertio libro comprehenduntur, Tibullo abiudicandas esse, primus J. H. Vossius 1876 in kalendario Musarum Gottingensi gravibus argumentis comprobavit. Cuius sententiam inde ab eo tempore plurimi viri docti amplexi sunt. Primum igitur hae elegiae ingenium a Tibullo prorsus alienum aliasque voluntates prae se ferunt. Nihil enim invenies apud Lygdamum desiderii vel amoris ruris vitaeque agrestis, quam Albius summis laudibus praedicare nunquam defetiscitur, ita ut id ipsum maxime esse proprium poeseos Tibullianae negare non

---

[1] De Tibulli codicibus. Berolini 1880.

[2] cfr. Rothst., de T. cod. pg. 54

possimus. Deinde ubi in Lygdami elegiis flumini aequabiliter ac placide labenti similibus mira illa elatio animi, illa tanta varietas sensuum inter se diversorum, quam saepius in eodem carmine apud Tibullum (cf. I, 5; II, 6) miramur! Denique cum hic aestu amoris non raro ad res venereas rapiatur, Lygdamum nunquam morum castitatem laedere videmus.

Praeterea quintam quidem elegiam non esse Tibulli, alio gravissimo argumento[1]) firmatur. Legitur enim versibus 17 & 18:

,Natalem primo nostrum videre parentes,
Cum cecidit fato consul uterque pari'.

E quo loco poetam huius carminis anno 43 a. Chr., quo Hirtius et Pansa consules vitam amiserunt, esse natum apparet. Atqui tribus causis Tibullum maiorem fuisse natu docemur. Primum igitur hunc bello Aquitanico, quod anno 30 a. Chr. a Messala confectum est, interfuisse et ex el. Tib. lib. I, 7[2]) et vita Tibulli[3]) scimus. Quis autem crediderit, Albium tredecim annos natum stipendia meruisse?

Deinde Tibulli carmina illo anno, quo Augustus princeps nominabatur, id est 28 a. Chr., iam cognita erant atque laudabantur, id quod ex Ov. Trist. II, 463 intellegitur:

, . . legiturque Tibullus
Et placet, et iam te principe notus erat.'

Denique ex Ov. Trist. IV, 10, 51 sq. comperimus, Tibullum natu maiorem fuisse quam Ovidium, qui anno 43 a. Chr. natus est.

,Vergilium vidi tantum, nec amara Tibullo
Tempus amicitiae fata dedere meae.
Successor fuit hic tibi, Galle: Propertius illi:
Quartus ab his serie temporis ipse fui.'

---

1) cfr. Selm. Kleemann ,De libri tert. carm. quae Tib. nom. circumferuntur pg. 5 sq.

2) V. 9 lectio omnium codicum ,non sine me est tibi partus honos' mihi probatur, quidquid contra dicit Baehrensius Tibullianorum pg. 13. Albius illis verbis ,non sine me' nil commemorat nisi se comitem Messalae atque rerum ab eo gestarum testem fuisse.

3) Tib. . . Messalam . . dilexit, cuius et contubernalis Aquitanico bello mil. don. donatus est. Cf. Baehr., Tib. Bl. 5.

Ceterum hoc, quod modo perstrinximus argumentum e carm. 4 v. 17. 18 depromptum non aeque ad alias libri tertii elegias esse referendum concedimus. Nam cum in quinta elegia epistulam aegroti poetae ad amicos continente nusquam fiat mentio amoris erga Neaeram, quem omnes aliae describunt elegiae, quisquam sibi non liquere dixerit, has atque illam ab eodem poeta esse compositas.

Venimus ad Panegyricum in Messalam, qui in editionibus initio libri quarti exstat. Quamquam igitur illius sententiae, a Tibullo adulescentulo quidem hoc carmen esse compositum, etiamnunc acerrimi exsistunt defensores, v. gr. Teuffelius, Hankelius,[1]) plurimi tamen iique doctissimi inter Pseudotibulliana eum esse reiciendum evicerunt. Ac profecto, si hoc carmen, quod haud dubie anno 31 a. Chr. compositum et ad Messalam, qui illo anno consulatum suscepit, missum est, integro iudicio nec praeiudicata ducti opinione cum iis Tibulli elegiis comparamus, quae eodem fere tempore[2]) natae sunt, ex his ingenium exsplendescere prorsus aliud quam ex illo libenter fatebimur. Neque enim apud Tibullum quidquam ostentatae doctrinae, qua Panegyricus immixtis fabulis atque latis regionum descriptionibus oneratur, neque inaequalitatis orationis, quae modo inflata granditate placere vult, modo ad molestam ieiunitatem delabitur, neque nimiae illius adulationis, quae nobis in Panegyrico displicet, invenies.

Ea vero, quae Panegyricum sequuntur, undecim carmina in duas partes sunt secernenda. Quarum una sex[3]) continet elegidia, quibus Sulpiciae, filiae Servi Sulpici,[4]) amor erga Cerinthum quendam celebratur, altera quinque Sulpiciae epistulas ad Messalam et Cerinthum datas comprehendit. Cui autem illae sex elegiae, — item secundum epigramma et duo priapea, quae Cuiaciano tantum fragmento traduntur — utrum Tibullo, cuius poesi simillima quidem ac plane digna sunt, an alii poetae haud ignobili sint tribuenda, cum non

---

1) „De Paneg in Mess Tibulliano.“ Lips. 1874.

2) cfr. Baehr., Tib. Blätter pg. 41.

3) cfr. Acta sem. philol. Erlang. vol. I. pg. 100. — Baehrens cum aliis sextum elegidium in numero epistularum Sulpiciae ducit.

4) cfr. Baehr., Tib. Bl. pg. 41.

plane possit diiudicari, in dubio relinquendum est.[1]) Tamen illud alicuius momenti esse videtur, omnes libri tertii et quarti elegias diu seorsum a Tibulli genuinis libris exstitisse neque ante saeculum X in corpus Tibullianum esse receptas, ut ex vetere catalogo saec. IX ab Hauptio edito elucet, in quo legitur: ‚Albi Tibulli libri II.[2])

Quomodo autem accidere potuit, ut illae claro Albi nomine ornatae in publicum venirent? Nam etiam antiquitatem eodem errore fuisse implicatam, qui per tot saecula viguit, vita Tibulli a Suetonio scripta docemur: ‚... epistolae quoque eius amatoriae, quamquam breves, omnino dulces sunt‘.[3]) Mihi igitur iis assentiendum esse videtur viris doctis, qui censent, omnes, quae tertio et quarto libro continentur, elegias in illa studiosorum bonarum artium societate, quam Messala secum habebat, ortas, post mortem autem Messalae in unum librum collectas et cum nemo iam sciret, cuius singulae essent, Tibulli nomine inscriptas esse, sive bibliopola quidam quaestus vel lucri causa illo nomine abutebatur, sive quod verisimilius est, Albius omnium poetarum cum Messala familiaritate coniunctorum clarissimus verus earum scriptor habebatur. Cum enim Albius haud dubie existimatoris laude uteretur,[4]) facile fieri potuit, ut ei illa carmina quanti essent aestimanda, ut iudicaret, transmitterentur et, postquam mortuus est, ex eius scriniis in Messalae domum transferrentur. Quae sententia eo probabilior fit, quod Pseudotibullianis unum quidem carmen vere Tibullianum insertum est. Tamen adhuc sub iudice lis est.

---

[1]) cfr. Baehr., Tib. Bl. pg. 46.

[2]) cfr. Baehr., ed. Tib. pg. XXI.

[3]) cfr. Baehrens, Tib. Bl. pg. 5. — Etsi loco supra allato epistularum tantum mentio fit amatoriarum, qua voce Sulpiciae epistulae haud dubie sunt accipiendae, tamen Suetonius alia quoque Pseudotibulliana Tibullo assignasse videtur. Nam ea omnia in unum redacta librum esse tradita atque ab editoribus italis in duos libros divisa putandum est. Cfr. Baehr., Tib. Bl. pg. 49.

[4]) Mihi quidem Baehrensius iis, quae in Tibullianis pg. 9 exposuit, minime persuasit illam epistulam Horatianam, quae incipit versu ‚Albi, nostrorum sermonum candide iudex‘, non ad elegiarum poetam, sed ad alium quendam Tibullum esse datam. Ceterum etiam sine Horati testimonio dubium esse non potest, quin tam clari poetae iudicium apud omnes non nihil valuerit.

Ceterum haec mea disputatio non solum ad carmina haud dubie genuina pertinet, sed etiam ad adulterina et ambigua, si forte argumentis, quae ab aliis ad diiudicanda vera a falsis sunt allata, aliquantulum addam.

Ad ea autem, quae scripsi, componenda maximo mihi commodo erant: Kuehnasti liber, cuius supra iam mentio facta est, Draegeri liber, qui inscribitur ‚Historische Syntax der lat. Sprache‘, R. Kuehneri grammatica latina et graeca K. W. Kruegeri gram. graec., L. Disseni ed. carm. Tib. His praemissis iam ad rem transeam.

De numerorum usu.

§ 1. Cum optimi scriptores latini non raro singularem nominum plantarum et animalium collectivo sensu pro plurali adhibeant, non est quod miremur, nobis talem usum in Tibulli carminibus occurrere, ut II, 5, 89: ‚levis *stipulae* accendet acervos.‘ Neque illud memoratu dignius esse videtur, v. I, 7, 4 singulari ‚miles‘ exercitum, item v. I, 7, 18 sing. ‚Syrus‘ totum populum significari, quippe quod imprimis in Livi aliorumque rerum scriptorum libris saepissime inveniatur.

Hanc autem licentiam Tibullum exemplo Graecorum[1]) longius excessisse, ex hisce versibus elucet: I, 2, 97 ‚hunc *puer*, hunc *iuvenis* turba circumterit arta‘; I, 3, 28 ‚*multa tabella*‘; I, 4, 33 ‚vidi iam *iuvenem*, premeret cum serior aetas, maerentem stultos praeteriisse dies‘; I, 9, 68 ‚*denso dente*‘; II, 1, 8 ‚*capite*‘ ad plures boves refertur; II, 3, 10 ‚pussula rupta‘; II, 3, 45 ‚*innumera ove*‘. —

Quorum exemplorum illa imprimis velim respicias, ubi adiectiva ‚multus‘ ‚innumerus‘ cum singulari substantivi copulantur.

E Pseudotibullianis haec exempla conscripsi: Lygd. 3, 2 & 4, 64 ‚*multa prece*‘; 5, 30 ‚*unda*‘; Paneg. 15 ‚*inaurato* taurus cadit hostia *cornu*‘: 34 ‚*aeterno* erunt tibi magna volumina *versu*‘; 60 ‚*unda*‘: 201 ‚*versus noster*‘.

§ 2. Forma pluralis loco singularis apud Albium saepius quam in operibus aliorum imprimis priorum poetarum

---

1) cfr. Kuehner, gr. Gr. § 347, a, 1.

invenitur, sive ille notionem nominis amplificare vel sublimitatem quandam orationis efficere studuit sive metri necessitate coactus est. [1]) Itaque imprimis in plurali legimus:

1) res, quae e terra gignuntur, ut ‚aera' I, 8, 22; ‚aquae' II, 3, 71; ‚ligna' II, 1, 22; ‚mella' I, 3, 45; 7, 54; ‚messes' (= fruges terrae) I, 1, 24; 5, 22; II, 1, 47; ‚musta' I, 1, 10; 5, 24; II, 3, 69; ‚tura' I, 3, 34; 8, 70; II, 2, 3; ‚vina' I, 1, 24; — apud Lygd.: ‚Falerna' 6, 6; ‚ignes' 5, 11; ‚tura' 3, 2; ‚venena' 5, 10; in Paneg.: ‚terrae' (= agri et prata) 162; in Sulp. el. 4, 9 ‚tura'.

2) membra vel partes corporis, ut ‚colla' I, 2, 92; 4, 16; ‚ora' (στόματα) I, 8, 32; ‚pectora' (στέρνα) I, 7, 40; ‚sinus' I, 2, 98; 3, 6; ‚terga' (νῶτα) I, 9, 22; ‚capillus' II, 3, 26 in plurali, — I, 7, 51; 10, 37 in singulari, ‚coma' autem plerumque in plurali legitur — I, 3, 8; 4, 30; 5, 44; 8, 10; 9, 68; II, 1, 16, 48; 2, 6. 20; 3, 12; — in singulari I, 3, 66; 4, 4. 63; 6, 86; II, 3, 29; — ‚corpora' (σώματα Soph. El. 1232)[2]) I, 8, 52; I, 2, 27[3]) — apud Lygd.: ‚corda' 2, 6; ‚ora' 5, 25; ‚terga' 4, 87; ‚capillus' in plurali tantum invenitur — 2, 11; 5, 15 — ‚coma' in plurali 6, 64; — in Paneg. ‚colla' 117. 170; ‚terga' 116; in Sulp. el. 3, 10 & ep. 5, 2 ‚corpora'; el. 2, 24 ‚sinus';

3) res manu factas, ut ‚iuga' I, 4, 16; ‚vestes' I, 7, 47; 8, 13; II, 3, 56 — (contra ‚vestis' II, 1, 13; 3, 78; 4, 30; Lygd. 2, 18); ‚vincla' (= cortex cadi) II, 1, 28;

4) sacra, ut ‚aras' II, 1, 15; 2, 1 (οἱ βωμοί Lys. Epitaph. p. 69 R.)[4]); ‚Vestales focos' II, 5, 52; (cf. S. el. 5, 4); ‚Veneris numina' I, 2, 81; 3, 79; ‚Junonis numina' epigr. 1, 15; et apud Lygd. 6, 22, ‚irati numina'.

5) nomina locorum, ut ‚limina' I, 2, 17; ‚herbosa Palatia' II, 5, 25; ‚rura' I, 5, 21; II. 1, 37 (*rura* cano *ru-*

---

[1]) cfr. Kuehner, lat. Gram. II, § 23. — Draeger, hist Synt. I p. 6.

[2]) cfr. Draeger, hist. Synt. I, p. 6.

[3]) Si quis hunc versum sensu cum antecedente v. 25 cohaerere velit negare, cum inter hos duos versus lacuna exstet, tamen dubium non esse existimo, quin ‚corpora' ad singularem quendam sit referendum; poeta enim pericula describit, quae is subit, qui nocturno tempore clam puellam amatam domi alienae convenit

[4]) cfr. Draeger, hist. Synt. I, p. 7.

risque deos). 47; 3, 1; ,ignotis terris' (me tenet Phaeacia) I, 3, 3; ,sepulcra' I, 3, 8; ,tecta' I, 4, 1; ,vias' II, 1, 78; in Paneg. ,Sirenum litora' 69; ,regna Lydia' 198; in Sulp. el. 4, 4 ,regna superba'.

6) Verba, quibus affectus unius hominis significatur, ut ,amores' (meos) I, 2, 61; 3, 81; 9, 1; II, 2, 11; 4, 47. 57; ,fastidia' I, 8, 69; ,taedia' I, 4, 16 et apud Lygd. 2, 8;

7) alia substantiva abstracta, ut ,fastus' I, 8, 75; ,ornatus' I, 10, 62; ,canis aestivi ortus' I, 1, 27; ,reditus' (meos) I, 3, 13; ,somnos' I, 1, 4 . 48; ,strepitus' I, 6, 62; ,triumphi' I, 7, 5; II. 1, 33; apud Lygd.: ,felices cantus' 4, 40; ,carmina' 2, 28; ,munera' (sc. libellus) 1, 24; ,somnia' 4, 1; in Paneg.: ,carmina' 3 . 106 . 178; ,flamina' 124; ,munera' (sc. carmen) 7; ,ortus' 157; ,otia' 181; ,praeconia' 177; ,silentia' 129; in Sulp. el. 3, 1 & ep. 5, 3. 5 ,morbi;' (μανιάσιν νόσοις Soph. Ai. 59).[1])

Cum apud Tibullum nunquam cum singulari nominis verbum in plurali coniungatur, Lygd. id sibi permisit 4, 10 ,hominum genus . . . placant' et auct. Paneg. 186 ,pecus . . . pascebant'; item in Sulp. el. 3, 26 pronomen ,quisque' cum plurali verbi legimus: ,*optabunt* artes sibi *quisque* tuas'.

§ 3. Restat, ut in hoc de numeris capite etiam formas plurales ,nos' et ,noster' commemorem, quas a multis scriptoribus modesta quadam dicendi ratione[2]) pro singularibus ,ego' et ,meus' non raro usurpari scimus. Tibullus igitur cum aliis poetis et latinis et graecis[3]) sine ulla ratione nisi metri causa illam quam modo dixi permutationem pronominum admisit, etsi antecedente vel subsequente, quin etiam eodem versu iuxta legitur singularis.

Cfr. II, 4. 5, ,seu quid *merui*, seu quid *peccavimus*'; I, 3, 53 ,explevimus'; I, 9, 48 ,*me nostri* pudet'; I, 1, 52 & I, 3, 14 ,nostras vias'; I, 2, 5 & I, 5, 44 ,nostrae puellae'; I, 2, 89 ,mala nostra'; I, 6, 53 ,vulnere nostro'; I, 9 (8), 43

---

1) cfr. Draeger, hist. Synt. I, pg. 7.
2) cfr. Kuehner, lat. Gram. II, § 24.
3) cfr. Kuehner, lat. Gram. II, § 371, 3.

,munere nostro'; I, 9, 75 ,noster puer'; I, 10, 13 sq. ,ad bella *trahor*. . et hostis haesura in *nostro* tela gerit latere'; II, 1, 35 ,aspira *mihi*, dum carmine *nostro* . . . redditur gratia.'

E Pseudotibullianis hos locos contuli: ,Lygd. 1, 19 ,illa *mihi* referet, si *nostri* mutua cura est'; 2, 25 ,nostri memores lacrimae'; 5, 11 & 13 ,nos'; 5, 31 . 32 ,memores vivite nostri, sive erimus seu nos fata fuisse velint; 6, 55 ,*nobis* . . . *merenti*'; 2, 5 ,nostro ingenio,' 3, 8 ,nostra senecta'; 4, 78 ,nostro nomine'; 5, 17 ,natalem nostrum'.

Paneg. 7 ,nobis'; 197 ,nostri si parvula cura sit'; 38 ,sim victor, ut nostrum inscribam nomen'; 181 ,noster abor'; 191 ,nostrae Camenae'; 201 ,versus noster'.

Sulp. eleg. 4. 6 ,de nobis'; 4, 17 ,nos'; 2, 24 ,in nostros sinus'; 6, 4 (ap. Baehr. ep. 1, 4) ,in nostrum sinum'; ep. 4, 5, pro nobis'; epigr. 2, 1 ,nostram puellam'; 2, 3 ,nostro sine dolore'.

De casuum usu.

§ 4. Quae de genetivo mentione digna sunt, paucis absolvi possunt. Sunt ea paene omnia ad liberiorem genetivi obiectivi usum referenda, quem cum graeci [1]) scriptores saepius admiserunt, tum inter Romanos ne Cicero quidem aut Caesar prorsus evitarunt. Sin autem illud iam satis esse licentiae putes, cum substantivis, quae a verbis intransitivis [2]) duxerunt originem, genetivum obiectivum copulari, Tibullus ad eam progressus est audaciam, ut ne primitivis quidem substantivis talem genetivum adiungere dubitaret.

Igitur genetivus usurpatur, ubi accusativum cum praepositione ,ad' exspectamus: I, 3, 50, ,leti mille repente viae' (Achill. Tat. IV, pg. 160 ,τοσαῦται τῶν θανάτων εἰσὶν ὁδοί') [3]) I, 10, 4 ,mortis via'; — (si quis hoc loco genet. subiect. deprehendere malit, cum subst. ,mortis' ut I, 1, 70; 3, 4 . 5 pro

1) cfr. Kuehnast, Liv. Synt. pg. 73 & Madv., gr. Synt. § 48 pg. 51.
2) cfr. Draeger, hist. Synt. I pag. 430.
3) cfr. Dissen, A. Tib. carm. pars II. p. 75.

persona accipi possit, non repugno.) — II, 3, 79 ‚copia videndi'[1]) (Cic. off. 2, 1 scribendi otium non erat — ad scribendum)[2]) — aut vicem ablativi temporis gerit, ut I, 10, 44 ‚temporis prisci facta' (Liv. V, 7, 3 ‚l. temporis opus');[3]) — aut pro abl. loci ponitur, velut I, 5, 7 ‚furtivi foedera lecti'; I, 9, 8 ‚durum terrae opus'; — quin etiam loco ablativi cum praepositione ‚pro' aut ‚de' coniuncti nobis genetivus obi. occurrit: I, 1, 22 ‚exigui hostia soli'; II, 1, 33 ‚gentis Aquitanae triumphis'. In epigrammatis legimus: I, 11 ‚curarum requies' 1, 22 ‚servitium dominae'.

Lygd. habet 4, 47 ‚aevi futuri eventura'; 6, 11 ‚si quis vini certamen recusat', ubi genetivus ‚vini' loco ablativi instr. adhibitus est. Contra in Paneg. v. 88 ‚Laudis . . vigeat certamine miles' exspectamus ‚de laude' (Cic. fin. 5, 24 ‚certamen virtutis');[4]) Paneg. 18 ‚opus magni mirabile mundi'; — Sulp. el. 5, 12 ‚fallendi viae'.

§ 5. In dativi usum si inquirimus, primum illi Tibullum favisse regulae nobis incurrit in oculos, ut cum verbis transitivis praepositionibus ‚ad cum in sub' compositis ad significandum locum semper dativus coniungatur. Qui usus etsi ab optimorum scriptorum ratione dicendi non plane abhorret, potissimum tamen post auream quam vocant aetatem increbrescit.[5])

Apud Albium hi nobis occurrunt loci: I, 6, 79 ‚conductis *adnectit* licia *telis*'; I, 7, 33 '*palis adiungere* vitem'; I, 8, 26 ‚*femori conseruisse* femur'; I, 8, 54 ‚*absenti* querellas *conicit*'; I, 3, 63 ‚iuvenum series teneris *immixta puellis*'; II, 1, 22 ‚*ingeret* ardenti ligna *foco*'; II, 1, 49 ‚*ingerit alveo*'; — (verba ‚immiscere' et ‚ingerere' ante Livium cum dativo non inveniuntur).[6]) — I, 8, 33 ‚huic tu candentes *humero suppone* lacertos'; II, 1, 42 ‚*plaustro supposuisse* rotam'.

Ex intransitivis verbis tria ‚advigilare, concumbere, insidēre' cum dativo construuntur, id quod praecipue poetae iique raro admiserunt.

1) cfr. Kuehnast, Liv. Sint. pg. 73.
2) cfr. Draeger, hist. Synt. I, pg. 431.
3) cfr. Kuehnast, Liv. Synt. pg. 73.
4) cfr. Draeger, hist. Synt. I, pg. 431.
5) cfr. Draeger, hist. Synt. pg. 376 & 387.
6) cfr. Kuehnast, Liv. Synt. p. 134—139.

Cfr. II, 5, 93 ‚parvo *advigilare*[1] *nepoti*;' I, 8, 35 ‚Venus inveniet *puero concumbere*[2]) furtim'; I, 2, 72 ‚*insideat*[3]) celeri . . . *equo*.' — Verbum procumbendi aut dativus aut accusativus cum praepositione coniunctus sequitur: Cfr. I, 2, 85 ‚*procumbere templis*'; I, 9, 30 ‚*ad* teneros *procubuisse pedes*.' — Denique verbum ‚subrepere' in Sulp. el. 2, 21 cum dativo[4]) legi mihi liceat commemorare: ‚meo *subrepet amori*'.

Maioris autem momenti est, in Tibulli elegiis post verba coniungendi aut movendi, etsi cum praepositionibus non sunt composita, finem, quo spectat subiectum, dativo modo rei modo personae exprimi. Eius modi verba sunt: ‚miscere, ferre, mittere, venire'.

Cfr. II, 1, 46 ‚*mixta* securo est sobria lympha *mero*'; (οὐ πάντα λευκὰ οἷς μέλανα μὴ μέμικται. Πλ. Πρω. 346);[5]) II, 6, 31 ‚illius dona *sepulcro feram*'; II, 5, 44 ‚cum te Numici unda deum *caelo miserit* Indigetem'; (τὸν μοῦνόν με κασίγνητον συλᾷς Ἅιδᾳ πέμψας. Εὐ. Ἰφ. T. 159);[6]) — I, 3, 65 ‚*cuicumque* mors *venit* amanti'; (Ἀμεινοκλῆς Σαμίοις ἦλθε. Θουκ. 1, 13);[7]) I, 9, 43 ‚saepe insperanti *venit* (puella) *tibi*'; I, 10, 67, *veni nobis*'; II, 1, 81 ‚*veni dapibus* festis'.

Deinde Albius a communi dicendi ratione ita recedit, ut genetivum subiectivum pronominis relativi vel demonstrativi[8]) cum dativo commutet, item loco pronominis possessivi cum nomine coniuncti dativum pronominis personalis aut reflexivi ad verbum referendum usurpare soleat:

I, 1, 4 ‚cui somnos classica pulsa fugent'; I, 6, 40 ‚fluit cui toga'; I, 8, 31 ‚cui levia fulgent ora'; I, 9, 51 ‚cui formam vendere cura est'; II, 2, 6 ‚cui decorent sanctas mollia serta comas'; II, 5, 31 ‚cui decrescit arundinis

---

[1]) cfr. Draeger, hist. Synt. I, pg. 380.
[2]) cfr. Draeger, hist. Synt. I, pg. 382.
[3]) cfr. Draeger, hist. Synt. I, pg. 385.
[4]) cfr. Draeger, hist. Synt. I, pg. 387.
[5]) cfr. Krueger, gr. Gram. § 48, 9.
[6]) cfr. Kuehner, gr. Gram. § 423, 4.
[7]) Ibid. § 423, 5.
[8]) Genetivus ‚cuius' neque apud Tib. neque in Pseudotib. invenitur; genetivum ‚huius' bis apud Lygd. — I, 15 . 27 — me legisse memini.

ordo'; — I, 4, 13 ,illi stat pudor ante genas'; — I, 1, 59 ,suprema mihi cum venerit hora': I, 2, 76 ,mollis sit mihi somnus': — I, 1, 64 ,in tenero stat tibi corde silex': I, 4, 4 ,non tibi barba nitet, non tibi culta coma est'; I, 5, 76 ,in liquida nat tibi linter aqua'; I, 8, 47 ,primi floret tibi temporis aetas;' II, 3, 50 ,tibi laeta trahant Samiae convivia testae; II, 4, 43 ,veniat tibi mors': II, 5, 121 ,sic tibi sint intonsi capilli;' — I, 2, 98 ,despuit in molles sibi quisque sinus'; I, 10, 56 ,flet sibi dementes tam valuisse manus'. In priap. II, 2 legitur: ,candidus mihi puer tepente cum iaceret sinu'; 13 ,cum tibi corvus feriret ore caput'; 45 ,usque dum mihi Venus ruperit latus'.

Perpaucis locis huius dativi usus isque plerumque apud verbum ,esse' in Lygd. eleg. et in Paneg. deprehenditur:

Lygd. 1, 15 ,auctores huius mihi carminis'; 1, 26 ,te suis iurat caram magis esse medullis sive sibi coniunx sive futura soror'; 4, 1 ,nec sint mihi somnia vera'; 4, 63 ,mens est mutabilis illis'; 4, 54 ,quae tibi securos non sinit ire dies; 6, 36 ,nec bene sollicitis ebria verba sonant'. Paneg. 186, cui (que) pecus pascebant colles'; 40 ,nec tamen hic aut hic tibi laus maiorve minorve'; 182 ,mos est illi'; 27 ,nec tanto careat mihi carmine carta': 205 ,matura dies properat mihi mortem'.

Liberior dativi commodi vel incommodi usus, in latina lingua haud dubie rarior quam in graeca,[1]) hisce locis occurrit:

I, 2, 90 „mox tibi (= contra te) non mitis saeviet usque deus'; I, 6, 32, ille ego sum, ... latrabat tota cui tua nocte canis'; II, 1, 83. 84 ,deum pecori (= pro pecore) vocate voce: palam pecori, clam sibi quisque vocet'; I, 9, 66 ,tibi non solita corpus ab arte movet; (cf. οἱ καπηλεύοντες τῷ ἀεὶ ἐπιθυμοῦντι ἐπαινοῦσι πάντα ἃ πωλοῦσιν. Πλ. Πρωτ. 313); epigr. 1, 16 ,quae (Juno) ante alios est mihi (= meo iudicio)[2]) magna

[1]) cfr. Kuehner, gr. Gram. § 423, 24. 25, b.
[2]) cfr. Kuehner, gr. Gram. § 423, 25, b.

deos'; pari sensu dativus rei exstat in epigr. 1, 4 ,formosa est oculis meis'.

Maxime autem a solita oratione alienus est dativus loco genetivi attributivi a substantivo pendens Tib. II, 1, 34 ,Messala, magna intonsis gloria avis';[1]) similiter in Paneg. 4, ,humilis tantis sim conditor actis'.

In Sulp. eleg. bis dativo persona, in cuius honorem aliquid fit, significatur: 1, 1 ,Sulpicia est tibi culta tuis, Mars magne, Kalendis'; 5, 3 ,lota tibi est, tibi se compsit'.

Postremo dativum commodi in Sulp. el. 6, 9 (ap. Baehr. ep. 1, 9) finali sensu adhibitum enumerare mihi liceat: ,vultus componere famae' (cf. Tac. ann. 13, 40 ,viae pariter et pugnae composuerat exercitum.)[2])

§ 6. Ad accusativi usum quod attinet, Tibullus ut Graeci[3]) complura verba, quae in solita oratione intransitive adhibentur, cum accusativo coniungit:[4]) ,iurare (c. accus. personae, per quam iuratur), sonare, suspirare, tacere, tremere'. Quorum verborum partim in nostrate lingua praepositis syllabis ,be' vel ,er' vel ,ver' transitiva fiunt. Itaque legimus in epigr. 1, 15 ,haec tibi sancta tuae Junonis *numina iuro'*; (ἐπιορκεῖν θεόν;) II, 1, ,32 *nomen sonent'*;[5]). — v. I, 3, 60 ,dulce sonant carmen aves' accusativum ,carmen' obiectum internum quod dicunt esse apparet; — I, 6, 35 ,alios *suspirat amores'* (στένειν τι); I, 7, 57 *,taceat monumenta'* (σιωπᾶν); I, 7, 4 *,quem tremeret'* (τρέμειν). In Paneg. legimus v. 76 non ,sileantur pascua'; in Sulp. el. 3, 17 ,te cogitat'; (contra 4, 10 ,de me cogitat';) 4, 11 ,alios suspirat amores'; (cfr. supra Tib. I, 6, 35).

Nonnunquam loco verbi compositi ponitur verbum simplex eique accusativus coniungitur, qui a composito tantum

---

1) cfr. Draeger, hist. Synt. I, pg. 407 & Kuehner, gr. Gram. §424, 3.
2) cfr. Draeger, hist. Synt. I, pg. 407.
3) cfr. Krueger, gr. Gram. § 46, 6 . 3 & 4.
4) cfr. Draeger, hist. Synt. I, pg. 332 sq.
5) cfr. Hor. epod. 17, 40 ,sive mendaci lyra voles sonari.' Errare mihi videtur Nauckius, qui verbum sonari intransitivum esse interpretandum contendit.

verbo pendere solet.[1]) Sunt haec verba: flere, fundere, serere, spargere, quae pro ,deflere, perfundere, conserere, conspergere' usurpantur.

Cfr. I, 1, 61 ,flebis me' (δακρύειν τινά); I, 3, 14 ,fleret nostras vias'; I, 7, 50 ,tempora funde mero'; I, 1, 36 ,spargere Palem'; I, 6, 48 ,spargit deam'. ,Flere' et ,serere' etiam in passivo transitive usurpantur:

II, 4, 46 ,at bona, quae nec avara fuit, . . . flebitur'; II, 3, 73 ,sulcos satos'.

Apud Lygd. legimus 6, 39 ,periuria flevisti;' 2, 19 ,primum annoso spargent collecta Lyaeo, mox etiam niveo fundere lacte parent'; 2, 15 ,animam precari' (=deprecari).

Accusativus deinde graecus qui vocatur, cuius apud priscos poetas perpauca, apud plurimos pedestris orationis scriptores nulla exstant exempla,[2]) a Tibullo magno quidem cum studio adhibetur, tamen participio tantum perfecti, semel adiectivo, iungitur.

Cfr. I, 1, 70 ,Mors adoperta caput'; I, 2, 3 ,percussum tempora'; I, 3, 31 ,Delia resoluta comas,; I, 3, 69 ,implexa feros pro crinibus angues,; I, 3, 91 ,longos turbata capillos'; I, 6, 18 ,pectus aperta'; I, 6, 49 ,latus praefixa veru'; ,I 7, 6 ,evinctos brachia duces'; I, 8, 5 ,religatum brachia'; I, 10, 28 ,myrto vinctus caput'; I, 10, 55 ,teneras subtusa genas'; II, 1, 16 ,vincta turba comas'; II, 5, 5 ,triumphali devinctus tempora lauro'; — I, 6, 49 ,saucia pectus'.

In Lygd. eleg. haec exempla insunt: 2, 11 ,longos incompta capillos,; 2, 16 ,perfusae pias ante liquore manus'; 4, 23 ,casta redimitus tempora lauro'; 4, 87 ,anguinea redimitus terga caterva'; 4, 89 ,Scylla virgineam canibus succincta figuram'; 6, 63 ,madefactus tempora nardo; — semel accus. ab indicativo praesentis pendet 4, 32 ,virgo inficitur teneras ore nitente genas'.

In Paneg legimus v. 57 ,victa foedatus lumina'; 116 conversus terga Salassus.' —

---

1) cfr. Draeger, hist. Synt. I, pg. 116.
2) cfr. Draeger, I, pg. 334 sq.

Posteriores poetae non solum nomina partium corporis sed etiam ‚animus' et similia subst. in accus. gr. ponere sibi permiserunt.

Sed iam ad ea perveni, quae de ablativi usu mihi in promptu sunt.

§ 7. Primum de ablativo instrumentali agam, qui nonnullis locis exstat apud Tibullum, ubi ablativum cum praepositione ‚in' exspectamus, imprimis post verba sedendi (κάθημαι) [1]) et similia. Exempla sunt:

I, 1, 31 ‚sinu referre'; I, 1, 43, ‚requiescere lecto'; I, 1, 44 ‚solito membra levare toro' (cfr. Ov. fast. VI, 326 ‚pars iacet et molli gramine membra levat'); I, 1, 46 ‚dominam tenero tenuisse sinu'; I, 1, 61 ‚arsuro positum me lecto'; I, 2, 77 ‚Tyrio recubare toro'; I, 3, 26 ‚puro secubuisse toro'; I, 4, 45 ‚puppi volet ire;' I, 5, 46 ‚vecta est frenato pisce Thetis'.

Lygd. 3, 10 ‚Lethaea ire rate.' Priap. 2, 3 ‚tepente cum iaceret abditus sinu.'

Proprium ablativi instr. usum etiam hi loci praebent: I, 1, 1 ‚divitias alius fulvo sibi congerat auro'; haud dubie abl. ‚fulvo auro' peculiari ratione dicendi loco genetivi generis adhibetur; (cfr. Paneg. Mess. 34 ‚aeterno erunt tibi magna volumina versu').

Versu I, 1, 5 ‚me mea paupertas vita traducat inerti' certe ‚per vitam' exspectamus.

Deinde etiam loci inveniuntur, in quibus subiectum vel obiectum, quod exspectes, in ablativum instrumentalem, genetivum autem generis ab illo pendentem in subiecti vel obiecti casum esse mutatum apparet:

I, 1, 10 ‚frugum semper acervos praebeat (Spes) et pleno pinguia musta lacu' (plenum pinguis musti lacum); poeta variandae orationis causa a structura antecedentis versus decessisse videtur.

Item I, 2, 97 ‚hunc puer, hunc iuvenis turba circumterit arta' (puerorum, iuvenum turba arta); — ita etiam in Paneg. 186 ‚pecus denso pascebant agmine colles.

---

[1]) cfr. Kuehnast, Liv. Synt. pg. 174.

Porro verbo saltem attingere mihi liceat locutionem, ,ab arte' loco abl. modi I, 5, 4 ,quem (turbinem) celer *assueta* versat *ab arte* puer'; I, 9, 66 ,non *solita* corpus *ab arte* movet; II, 1, 56 ,*inexperta* duxit *ab arte* choros' (cfr. Ov. fast 2, 764; trist 2, 251; Sil. 3, 278).[1])

Tum ablativum loci plerumque sine praepositione ,in' adhiberi ex hisce locis colliges:

I, 3, 3 ,me tenet *ignotis* Phaeacia *terris*'; I, 3, 28 ,picta docet *templis* multa tabella *tuis*'; I, 3, 39 ,*ignotis* repetens compendia *terris*'; I, 5, 53 ,herbas *sepulcris* quaerat'; II, 2, 3 ,urantur pia tura *focis*'; II, 3, 42 praeda *vago* iussit geminare pericula *ponto*'; II, 3, 68 ,*tristibus agris* abdere'; II, 4, 23 ,suspensa *sacris* insignia *fanis*'; II, 5, 47 ,lucent *Rutulis* incendia *castris*'; epigr. 1, 9 ,*secretis* vivere *silvis*'.

Lygd. haec exempla praebet: 4, 24 ,est visus *nostra* ponere *sede* pedem'; 4, 77 ,vera canunt *sacris* oracula *templis*'; 4, 84 ,*pectore* inesse *tuo*'; 6, 40 *ignoto* sola relicta (Gnosia) *mari*.' Paneg. 10 ,*puro caelo*'; 13 ,Alcides *Molorcheis* posuit vestigia *tectis*'; 39 ,*castrisve forove*'; Sulp. el. 1, 17 ,metit *olentibus arvis*'; ep. 2,4 ,*Arretino agro*'.

Cum ante optimorum scriptorum aetatem ablativus loci sine praepositione ,in' rarissime usurpatus sit, inde a Livi autem temporibus imprimis apud poetas saepissime occurrat,[2]) dubium non esse videtur, quin ille dicendi usus a Graecis, in quorum poesi heroica quidem non rara insunt exempla,[3]) in latinam linguam irrepserit.

Denique ablativum disiunctionis post verba composita sine praepositione adhibitum, quem et ipsum apud aureae aetatis et posteriorum temporum scriptores magis in usum venisse constat,[4]) Albius novies scripsit; quinquies praepositionem ,de' vel ,ex' praemisit.

Memorabilius autem illud est, etiam post verba quaedam simplicia — labi, mittere, stillare — praepositionem esse omissam.

---

1) cfr. Draeger, hist. Synt. I, pg. 509.
2) cfr. Draeger, hist. Synt. I, pg. 485.
3) cfr. Kuehner, gr. Gram. § 426, 1.
4) cfr. Kuehnast, Liv. Synt. pg. 166 sq.

Cfr. I, 6, 53 ,vulnere nostro (labitur) sanguis'; I, 3, 9 ,quae me cum *mitteret urbe'*; I, 3, 90 ,videar *caelo missus* adesse tibi'; I, 4, 32 *,carcere missus'*;[1]) I, 7, 51 ,illius et nitido *stillent* unguenta *capillo'*.[2])

Lygd. etiam verba ,fluere' et ,manare' cum ablativo sine praepositione construit: 4, 27 ,intonsi crines longa cervice fluebant'; 5, 1 ,vos tenet, Etruscis manat quae fontibus unda.'

Verbum pendendi Tib. cum praepositione habet II, 1, 3 ,e cornibus uva pendeat'; contra Lygd. 6, 45 ,pendentia brachia collo'.

De adiectivorum usu.

§ 8. Initium huius meae disputationis partis ab eo faciam, ut adiectiva et participia substantivorum loco adhibita enumerem.

In singularis igitur casibus pro substantivis masculinis vel femininis leguntur: ,miser' I, 10, 5; ,nata' I, 6, 65; ,pau-,per' quater I, 5, 61—65; — ,amantis' I, 8, 1; — ,amanti' I, 5, 57; ,avarae' II, 4, 35; ,misero' I, 8, 23; —

In plurali inveniuntur adiectiva: ,amantes' I, 4, 77; — dolentes' II, 3, 76; — ,domitos' I, 9, 27; —

---

1) Errat Draeger, qui hanc verbi ,mittere' structuram apud nullum scriptorem nisi Florum inveniri existimat. Cfr. hist. Synt. I, pg. 463.

2) Nonnulli editores carminum Tib. ,e' pro ,et' exhibent. Tamen causam, quam proferunt, sensu hoc versu oppositionem postulari, quae ciecta copulativa particula facillime efficiatur (cfr. Dissen), non tam gravem habeo, ut unanimo codicum consensui — non respicio recentissimos — sit diffidendum. Accedit, quod etiam aliis locis coniunctionem ,et' legimus, ubi potius particulam adversativam, v. gr. ,autem' expectamus (cfr. I. 2, 39). Tum si quis versum II, 4, 58 obiciat, ubi post verbum ,stillandi' abl. cum praepositione ,ab' coniunctus est, tamen dubium non est, quin praepositionem hoc loco Albio non minus licuerit omittere quam post ,labi' ,fluere' (cfr. Lygd. 4, 27) ,manare' (cfr. Lygd. 5, 1). Ad voculam ,e' autem quod attinet a Baehrensio receptam, recte quidem Luc. Muellerus pag. 219 suae editionis Lucili videtur commemorare, saepius praepositionem ,e' cum copula ,et' commutari, id quod Baehrensius haud dubie meminit, quippe cum ad hunc quem modo dixi Muelleri librum indicem conscripserit, — tamen illa docti viri coniectura hoc loco longius petita est, quam ut verisimilis sit. Itaque ,et', quod praebent codices, retinendum esse censeo.

Genus neutrum adiectivorum pro substantivis non legi nisi I, 1, 25 ‚parvo'; I, 2, 1 ‚merum'; I, 6, 27; 10, 32; II, 2, 8 ‚mero'.[1])

Maioris autem momenti illud esse existimo, substantivum ter more adiectivi cum substantivo copulari I, 1, 14 ‚agricolam deum'; I, 5, 27 ‚deo agricolae'; II, 1, 36 ‚agricolis caelitibus'.

Porro Tib. id, quod actionis proprium est, attractione ad subiectum transferens pro adverbio adiectivum adhibere solet. Cuius usus cum a soluto et graecae et latinae linguae sermone non plane alieni tum in poesi saepissime obvii[2]) e carminibus Tib. haec exempla conscripsi: I, 2, 100 ‚quid messes uris *acerba* tuas'; I, 6, 6 ‚Delia nescio quem *callida* fovet'; I, 8, 63 ‚subito *perfida* fallit'; I, 2, 68 ‚(maluerit) praedas *stultus* sequi'; II, 6, 53 ‚*anxia* vivas'; — I, 4, 28 ‚transiet aetas quam *cito!* non *segnis* stat remanetque dies'; I, 5, 4 ‚quem *celer* assueta versat ab arte puer'; I, 5, 33 ‚virum *sedula* curet'; I, 5, 72 ‚quidam in limine perstat *sedulus*'; II, 4, 42, nec quisquam flammae *sedulus* addat aquam'; I, 6, 47 ‚ipsa caedit *violenta* lacertos'; — I, 7, 21 & II, 4, 17 ‚*qualis*' pro ‚*ut*'; I, 7, 62 ‚cum *serus* rettulerit pedem'; I, 9, 4 ‚*sera*, tamen tacitis poena venit pedibus'; I, 8, 57 ‚ut *lenis* agatur spiritus'; I, 9, 45 ‚miser interii'; II, 1, 48 ‚*annua* (quotannis) terra'; II, 3, 41,hinc cruor, hinc caedes mors *propior* que venit.'

Nec quae in Pseudotibullianis occurrunt adiectiva loco adverbiorum praeteream. Lygd. 5, 31 ‚vivite *felices*'; 5, 8 ‚temptavi *audax*'; 6, 47 ‚*fallax* iuravit'. Paneg. 19. 20. 43 ‚*qualis*' pro ‚*ut*'; 114 ‚*velox* celerem super edere corpus gaudet equum'; 134 ‚*laetior* eluxit'; 160 ‚*celer* properat decurrere luces'; 172 ‚tondetur seges . . . *annua* partus'. Sulp. el. 1, 13 ‚*talis*' pro ‚*ita*'; 2, 24 ‚*celer* . . recurre'; ep. 2, 2 ‚(natalis), qui *tristis* agendus erit.'

Quater substantivo adiectivum eiusdem significationis additur: I, 1, 42 ‚antiquo avo'; I, 10, 18 ‚veteris avi'; I, 8, 50 ‚veteres senes'; II, 1, 2 ‚prisco avo.'

---

1) cfr. Draeger, hist. Synt. I, pg. 38 sq.
2) cfr. Kuehner, lat. Gram. II, § 63 & gr. Gram. § 405, b, 2.

Denique semel adverbium ‚furtim' pro adiectivo ‚furtivus' cum substantivo graeco more copulatur: II, 5, 53 ‚concubitus tuos furtim'.

De numeralibus cum nihil habeam, quod dignum sit mentione, nisi quod I, 4, 69 ‚tercentenas[1]) urbes' pro ‚trecentas urbes' et in Paneg. 50. 112 ‚terna[2]) saecula' pro ‚tria saecula' legimus, statim ad ea accedam, quae de pronominibus sunt dicenda.

De pronominum usu.

§ 9. Quae in pronominum usu propria habet Albius haec sunt:

Pronomen demonstrativum ‚ille' cum pronomine personali primae personae coniungitur[3]): I, 5, 9 . 10 ‚*ille ego* te dicor votis eripuisse meis'; (cfr. Lygd. 4, 72 ‚meditabar *ille ego* Latonae filius atque Jovis'); — ad secundam personam in allocutione refertur: II, 3, 77 ‚mos precor *ille redi;*' II, 4, 2 ‚libertas *illa* paterna *vale*'; (cfr. Σοφ. O. T. 532 οὗτος σύ, πῶς δεῦρ' ἦλθες;)

Pronomen ‚is' ad personam secundam refertur II, 3, 36 ‚at tu, quisquis *is es*, cui . . .'

Similiter (ali) quis in Sulp. el. 2, 1 ad personam secundam spectat: ‚parce meo iuveni, seu *quis* . . pascua . . *colis*.'

Semel pronomina ‚hic' et ‚ille' simul adhibentur: I, 3, 93 . 94 ‚*hunc illum* nobis Aurora nitentem Luciferum portet'; item ‚iste' et ‚hic' I, 9, 69 ‚ista haec persuadet facies'; (cfr. Ἡροδ. I, 32 ‚εἰ δὲ πρὸς τούτοισι ἔτι τελευτήσει τὸν βίον εὖ, οὗτος ἐκεῖνος, τὸν σὺ ζητεῖς).[4])

‚Aliquis' ter ut a Graecis τις significatione ‚mancher positum est: I, 10, 23; II, 1, 65; II, 4, 47.

---

[1]) cfr. Draeger, hist. Synt. I, pg. 91.
[2]) cfr. Draeger, hist. Synt. I, pg. 90.
[3]) cfr. Kuehner, lat. Gram. II, § 118, 13.
[4]) cfr. Kuehner, lat. Gram. II, § 468 . 13.

Denique maxime mirum est, pronomen ‚quisque' v. I, 4, 77 pronomini possessivo praeponi: ‚gloria cuique sua est.'

Saepius in Tibulli carminibus, ut apud alios poetas[1]), cum subiectum superioris membri sententiae in altero facile possit suppleri, tamen huic pronomen demonstrativum ‚ille' vel ‚is' aut pronomen personale insertur, ut apertius commune subiectum subiciatur oculis. Graeci pari modo ὅγε adhibent.[2]) Exempla haec sunt:

I, 2, 39 ‚siquis et imprudens aspexerit, occulat *ille*'; I, 2, 60 ‚cetera cernet omnia, de me uno sentiet *ille* nihil'; I, 4, 71 ‚blanditiis vult esse locum Venus ipsa: querellis . . *illa* favet'; I, 4, 68 ‚qui non audit Musas . . Idàeae currus *ille* sequatur Opis'; I, 5, 18, ‚fruitur nunc alter amore, et precibus felix utitur *ille* meis'; I, 8, 48 ‚dum primi floret tibi temporis aetas, utere: non tardo labitur *illa* pede'; II, 1, 70 ‚illic indocto primum se exercuit arcu: Ei mihi, quam doctas nunc habet *ille* manus!'; II, 3, 28 . 29 ‚quisquis aspiceret, Phoebi quaereret *ille* comam'; II, 4, 36 ‚heu quicumque dedit formam caelestis avarae, quale bonum . . . attulit *ille*'; II, 4, 60 ‚si modo me placido videat Nemesis mea vultu, mille alias herbas misceat *illa*, bibam'. — I, 2, 41 ‚fuerit quicumque loquax, *is* sanguine natam, *is* Venerem e rabido sentiet esse mari'; — epigr. 1, 8 ‚qui sapit, in tacito gaudeat *ille* sinu'; — I, 1, 37 ‚adsitis divi, neu *vos* . . spernite'; (cfr. Hor. ep. I, 2, 63 ‚hunc frenis, hunc *tu* compesce catenis.')

Apud Lygd. hi tantum loci exstant: 1, 8 ‚carmine formoso gaudeat, ut digna est versibus *illa* meis'; 2, 2, qui primus eripuit . . . , ferreus *ille* fuit.'

De verbo.

§ 10. In temporum usu, de quo nunc agemus, illud primum Tibullianae orationis peculiare censeo esse, non raro infinitivum perfecti notione praesentis adhiberi. Quem infi-

1) cfr. Kuehner, lat. Gram. II, § 118 . 10.
2) cfr. Kuehner, gr. Gram. II, § 469.

nitivum usitatum quidem et antiquioribus poetis et iis, qui Augusti florebant aetate,[1]) saepius tamen maioreque cum licentia Tibullus videtur usurpasse. Invenimus igitur talem infinitivum perfecti post verba: ‚decet, iuvat, paenitet, piget, pudet, sit (= accidat), gloria est, satis est, audere, gestire, nocere, nuntiare, optare, posse, prodesse, quire, velle‘.

Cfr. I, 2, 30 ‚timuisse decet‘; I, 4, 47 . 48, ‚paeniteat subiisse . . aut . . atteruisse‘; I, 6, 24 ‚non sit timuisse‘; I, 6, 4, gloria magna est composuisse‘; II, 1, 9, 10 ‚non audeat ulla . . imposuisse‘; II, 1, 71 72 ‚fixisse gestit et . . perdomuisse‘; I, 8, 25 . 26 ‚nocet tetigisse . . dedisse . . conseruisse‘; I, 6, 74 ‚optarim non habuisse‘; II, 5, 112 ‚potest reperisse‘; I, 8, 9 . 10 ‚quid tibi nunc prodest coluisse . . . disposuisse‘; I, 8, 70 ‚prodest dedisse‘; I, 4, 56 ‚implicuisse velit‘; I, 6, 64 ‚contribuisse velim‘.

Qua in re minus logica quam metrica ratione motum esse poetam, ex eo apparet, quod non raro in eodem disticho infinitivum perfecti et praesentis legimus, velut:

I, 1, 29 . 32 ‚pudeat tenuisse . . *increpuisse* . . pigeat *referre*‘; I, 1, 45 . 46 ‚iuvat *audire* . . . *tenuisse*‘; I, 1, 73 . 74 ‚*frangere* postes non pudet et rixas *conseruisse* iuvat‘; I, 2, 95 . 96 ‚*stare* puduit . . . *detinuisse*‘; I, 8, 11 . 12 ‚quid (prodest) *ornare* . . *subsecuisse*‘; I, 9, 63 . 64 ‚queat *consumere* . . aut . . *disposuisse*‘; I, 10, 61—63 ‚sit satis *rescindere* . . *dissoluisse* . . sit movisse satis‘; II, 6, 49 . 50 ‚*languere* nuntiat aut *extimuisse*‘.

Cum neque apud Lygd. neque apud auctorem Paneg. ad Mess. huiuscemodi exempla inveniantur, in Sulp. eleg. haec insunt:

2, 3 ‚tibi sit acuisse‘; 4, 16 ‚nulla queat soluisse‘; 5, 6 ‚placuisse velit‘; 5, 18 ‚fuisse velit‘.

Ac ne illud quidem omittam, quod ad ornatum orationis magis quam ad res grammaticas spectat, interdum etiam in verbis finitis mutari tempora, ut:

---

[1]) cfr. Draeger, hist. Synt. I, pg. 230 sq.

I, 7, 40 sq. ‚Bacchus agricolae . . pectora tristitiae dissoluenda *dedit* . Bacchus . . requiem mortalibus *affert*‘;

I, 10, 47, Pax aluit vites et sucos *condidit* uvae . . . pace bidens vomerque *vigent*‘;

II, 1, 45—49 ‚tum *dedit* uva liquores mixtaque est . . lympha mero. Rura *ferunt* messes . .‘;

II, 1, 60 ‚Rure . . puer . . coronam *fecit* et . . *imposuit* Laribus. Rure etiam . . . *gerit* vellus ovis.‘

Lygd. 6, 13 ‚ille *facit* . ., ille *contudit* et *misit* . . .‘;
Paneg. 90 ‚quis *iecerit* . . aut *perfregerit* . . et quis *possit*‘;
126 ‚mare *constitit* . . ulla nec volucris *perlabitur* auras‘
Sulp. eleg. 1, 7 ‚quicquid *agit,* quoquo vestigia *movit.*‘

Praesens pro futuro Albius ter admisisse mihi videtur:

I, 7, 61 ‚te *canit* agricola‘; I, 9, 80 ‚tum *flebis,* cum me vinctum puer alter habebit et *gerit* . . regna superba,; II, 2, 10 ‚*annuit* ille.‘ Ita apud Lygd. 4, 49 . 50 scriptum est ‚ego quae *dico* non fallax accipe vates quodque . . *feram*‘.

Semel Albius ad exprimendum id quod fieri solet, perfecto ut Graeci aoristo gnomico[1]) qui vocatur utitur:

II, 1, 73 ‚hic (Cupido) iuveni *detraxit* opes, hic dicere *iussit* . . verba pudenda senem‘. (Cf. Hor. epist. I, 2, 48 ‚non aeris acervus et auri aegroto domini deduxit corpore febris‘.)

Coniunctio ‚postquam‘ a Tibullo II, 5, 107 cum perfecto, a Lygd. 4, 41 cum plusquamperfecto construitur.

Notabiliorem autem contendo esse illam libertatem, quam sibi Albius in enuntiatis condicionalibus permisit, cum in altero membro praesens praetulit, ubi imperfectum exspectamus, velut:

I, 4, 63 . 64 ‚carmina *ni sint,* ex humero Pelopis non *nituisset* ebur‘;

I, 8, 22 ‚et *taceret,* si non aera repulsa *sonent*‘.

Nec minus peculiare est, illum vividiore imaginationis motu enuntiata condicionalia omissa coniunctione ‚si‘ quasi dissolvere alterumque membrum in formam optativi mutare,

---

1) cfr. Krueger, gr. Gram. § 53, 10 . 2.

in quo ut calidius atque intentius optata significentur, praesens loco imperfecti et imperfectum loco plusquamperfecti ponitur.

Cfr. I, 10, 11 ,tunc mihi vita *foret* dulcis nec tristia *nossem* arma, nec *audissem* . . tubam (h. e. si tunc mihi vita fuisset).

II, 4, 7 ,O ego ne *possim* tales sentire dolores, quam *mallem* in gelidis montibus esse lapis, (h. e. si fieri posset, ut non sentirem, mallem . . .);

Similiter I, 2, 73 etsi grammatica ratione imperfectum postulatur, praesens tempus usurpatur, non tamen admissa ellipsi particulae ,si': ,Ipse boves, modo si tecum, mea Delia, *possim* iungere et in solo pascere monte pecus; Et te dum *liceat* teneris retinere lacertis, mollis in inculta *sit* mihi somnus humo'. Haud dubie Tibullo satis persuasum erat, tunc omnino fieri non posse, ut una cum Delia in solo monte pecus pasceret et cum illa dulci somno in molli gramine frueretur, cum Deliae nuptae saevam custodiam esse positam ipse queratur. Tamen haec omnia viva imaginatione praesenti tempore describit. (Cfr. Verg. Aen. VIII, 560 ,O mihi praeteritos referat si Juppiter annos!')

Denique versus II, 3, 28 et I, 6, 73 . 74 in quaestionem vocandi sunt.

In versibus igitur II, 3, 28 . 29 ,quisquis *aspiceret*, Phoebi *quaereret* ille comam', in quibus plusquamperfecta ,aspexisset', ,quaesivisset' exspectantur, ut, quid sentiam, statim aperiam, imperfectum apodosis ,quaereret' contendo esse coniunctivum potentialem praeteriti temporis; quem etiam in condicionali apodosi adhiberi licere, Kruegerius in gram. lat. § 459 exponit atque usu aliorum scriptorum potest demonstrari. (Cfr. Cic. Tusc. I, 37 ,cur et Camillus *doleret*, si haec post trecentos et quadraginta fere annos eventura *putaret*'; et Hor. serm. I, 3, 4 sq. ,Caesar, qui cogere *posset*, si *peteret* per amicitiam patris atque suam, non quicquam *proficeret*.) Quod attinet ad tempus antecedentis membri, illud verbo apodosis adaptatum esse videmus, de qua re velim conferas Kruegeri gram. lat. § 461.

Exemplum coniunctivi potentialis futuri temporis in condicionali apodosi nobis occurrit I, 6, 73. 74, ubi in protasi perfectum logicum[1]) exstat:

‚*venerit* iste si furor, *optarim* non habuisse *manus*'.

Mea autem, quam protuli, sententia probabilior fit, si illud respicimus, quod neminem fugiet, in carminibus Tib. coniunctivum potentialem veteribus quidem scriptoribus latinis raro usitatum[2]) praecipuo cum studio adhiberi, imprimis ‚velim, dubitem, iuvet, optarim, possim'.

Praeterea e Paneg. in Mess. unus mihi afferendus est locus, ubi in condicionali apodosi coniunctivi praesentis et imperfecti pari sensu simul adhibentur:

v. 198 ‚nostri si parvula cura sit tibi, quantalibet, si sit modo, non mihi regna Lydia, non magni potior *sit* fama Gylippi, posse Meleteas nec *mallem* vincere cartas'.

Sed his quae de temporum usu expedivimus iam proxime subicienda est de modis disquisitio.

§ 11. Primum quasi praeteriens illud leviter attingam, in constructione obliqua semel indicativum poni, id quod apud priscos scriptores[3]) non raro fit: II, 4, 17 ‚nec refero, qualis . . versis Luna recurrit equis'.

Coniunctivus sine ‚ut finali', qui post verba volendi et imperativum verborum ‚facere' et ‚cavere' omnibus temporibus[4]) in usu erat, a Tib. etiam admittitur post complura verba, quae apud alios imprimis pedestris orationis scriptores semper fere coniunctio ‚ut' aut acc. c. inf. sequitur: ‚docere, licebit, orare, persuadere, precari, rogare, sinere, vetare.[5])

Cfr. I, 6, 67 ‚*sit* modo casta, *doce*';

I, 4, 53 ‚*rapias licebit*'; (Priap. 2, 39 ‚licebet hoc inultus auferas semel.);

[1]) Hanc structuram raro quidem etiam alibi inveniri ex Draegeri hist. synt. II, pg. 688 apparet; cfr. Cic. fin. 2, 59 ‚si scieris aspidem occulte latere uspiam — improbe *feceris*, nisi *monueris* et q. s.

[2]) cfr. Zumpt, lat. Gram. 528.

[3]) cfr. Draeger, hist. Synt. II, pg. 433.

[4]) cfr. Draeger, hist. Synt. II, pg. 275 sq.

[5]) cfr. Kuehner. lat. Gram. II, § 186, 2. — Draeger, hist. Synt. II, pg. 275 sq.

I, 2, 65 ‚non ego totus abesset amor, sed mutuus *esset, orabam*‘;

I, 9, 69 ‚ista haec *persuadet*[1]) facies, auroque lacertos *vinciat* et Tyrio *prodeat* apta sinu‘;

I, 2, 12 ‚capiti sint precor illa meo‘;[2])

I, 3, 5 ‚abstineas . . precor‘; I, 3, 83 ‚precor maneas‘; I, 3, 93 ‚precor portet‘; I, 6, 56 ‚sit precor‘; I, 9 (8), 40 ‚sit, precor, sit levis‘ (precari c. inf. II, 5, 4);

I, 9, 84 ‚grata *sis* . . *rogat*‘; (cfr. Lygd. I, 24 ‚*accipias* munera parva *rogat*‘; Sulp. eleg. 4, 7 ‚mutuus *adsit* amor, *rogo*‘);

I, 2, 27 ‚nec *sinit occurrat* quisquam‘; I, 4, 25 ‚*sinit* . . *affirmes*‘; — (Lygd. verbum ‚sinere‘ cum acc. c. inf. construit 4, 54).

II, 6, 36 ‚sis mihi lenta veto‘; — apud alios scriptores vetare nusquam cum coniunctivo legitur nisi in Hor. carm. III, 2, 26.[3])

In Paneg. etiam ‚opus est‘ cum coniunctivo exstat 101 ‚seu *sit opus* quadratum acies *consistat* in agmen.‘

Verbis precandi et praemonendi ut alias verbo ‚quaeso‘ imperativus paratactico ordine adiungitur:[4])

I, 8, 51 ‚*parce precor*‘; II, 1, 82 ‚hinc *precor abde* faces‘; II, 3, 77 ‚mos *precor* ille *redi*‘; II, 5, 18 ‚*precor* quod canit illa *doce*‘; II, 6, 29 ‚*parce,* per immatura tuae *precor* ossa sororis‘; II, 5, 114 ‚*praemoneo,* vati *parce.*‘

Cfr. etiam Lygd. 6, 52 ‚*ite* a me, seria verba, *precor*‘; et Sulp. el. 4, 12 ‚*precor* infidos *relinque* focos‘.

Dubium non est, quin hic coniunctivi et imperativi usus aptissime conveniat syntaxi Tibullianae, cuius singularem proprietatem in ordine paratactico consistere infra videbimus.

Porro coniunctivum pro imperativo secundae personae adhibitum, qui in puro sermone latino non facile

---

[1]) Aliorum scriptorum coniunctionem nullus omittit nisi Sall. Iug. 35, 2 ‚huic *persuadet* regnum . . . *petat*‘. Cfr. Draeger h. S. II, pg. 282.

[2]) De aliorum poetarum usu cfr. Draeger, hist. Synt. II, pg. 282.

[3]) cfr. Draeger, hist. Synt. II, pg. 283.

[4]) cfr. Draeger, hist. Synt. II, pg. 212.

admittitur, nisi quid in universum tantum admonetur[1]), Tibullus hisce locis, etsi personam quandam alloquitur, praebet:

I, 1, 37 ‚adsitis'; I, 2, 59 . 3, 4 ‚abstineas'; I, 4, 40 ‚cedas'; I, 7, 53 ‚sic venias'; I, 8, 67 ‚desistas'; I, 9, 51 ‚absis'.

Apud Lygd. invenitur: 3, 33 ‚adsis.. et faveas'; 6, 9 ‚faveatis'; in Sulp. ep. 2, 5 ‚quiescas'.

Sin autem Albius dehortari vult aliquem vel prohibere ab aliqua re, pro secunda persona coniunctivi perfecti aut coniunctivum praesentis ut saepe prisci scriptores[2]) adhibet aut imperativo praesentis utitur, id quod poetis tantum est proprium.[3])

Cf. haec exempla: I, 2, 10 ‚neu sones'; I, 4, 41 ‚ne comes ire neges'; I, 6, 75 ‚nec sis'; I, 8, 29 ‚ne poscas'; II, 6, 28 ‚ne vincas'; et in Sulp. eleg. 4, 13 ‚nec sis iniusta'; — I, 1, 38 ‚nec spernite'; I, 1, 67, ne laede'; I, 2, 15 ‚ne falle'; I, 2, 37 ‚neu terrete... neu quaerite... neu ferte'; I, 4, 21 ‚nec time'; I, 8, 49 ‚neu torque'; I, 9, 17 ‚ne pollue'. — Lygd. 4, 75 ‚ne dubita'; Sulp. el. 3, 11 ‚neu iuvenem torque'.

Coniunctivum perf. legimus in Paneg. v. 8 ‚nec respueris'.

Saepius *modi variantur*, sive poeta orationis ornatum augere voluit, sive metri commoditate adductus est:

I, 1, 37 ‚adsitis . . . nec spernite';

I, 4, 45 sq. ‚si puppi *volet* ire . . . per freta pelle ratem. Nec, . . . *velit* si claudere valles, . . humeri retia ferre negent';

II, 4, 40 sq. ‚tibi . . eripiant . . ventus et ignis opes; tua iuvenes spectent incendia laeti, nec quisquam . . *addat* aquam. Seu veniat tibi mors, nec *erit*, qui . . . .';

II, 6, 1 sq. ‚tenero quid *fiet* Amori? *Sit* comes et collo fortiter arma *gerat*? Et seu longa virum terrae via seu vaga ducent aequora, . . *ire volet*?

---

1) cfr. Draeger, hist. Synt. I pg., 285.
2) cfr. Kuehner, lat. Gram. II, § 47, 8.
3) cfr. Kuehner, lat. Gram. II, § 51.

Apud Lygd. 2, 14 sq. ‚*maereat* haec genero, *maereat* illa viro. Praefatae . . ossa *legent* et . . *spargent*, mox . . fundere *parent*;

Sulp. eleg. 3, 9 ‚sancte, *veni*, tecumque *feras*'.

Restat, ut in hac de modis paragrapho de nonnullis coniunctionibus pauca disseram. Coniunctiones igitur ‚seu — seu', quas apud optimos scriptores indicativus sequi solet, in Tibulli elegiis et in Pseudotibullianis etiam cum coniunctivo inveniuntur, sive scriptor sententiam in incerto relinquere sive iterationem actionis indicare voluit.[1])

Cfr. I, 2, 35 ‚parcite luminibus, seu vir seu femina fiat obvia';

Lygd. 5, 32 ‚sive erimus, seu nos fata fuisse *velint*':

Paneg. 95 . 96 ‚seu dextra *velit* seu laeva tueri, sive hac sive illac *veniat* . . impetus'.

Maxime mirum est, quod v. 208 a futuro ad coniunct. praes. transitur: ‚seu me *finget* equum . . . seu . . pecoris *sim* gloria taurus, sive ego . . *vehar*'.

Iteratio indicatur coniunctivo hisce locis: Paneg. 45 ‚seu . . *fremat* inconstantia vulgi . . ., seu iudicis ira *sit* placanda'; 66 ‚seu supra terras Phoebus, seu *curreret* infra'; 101 ‚seu *sit* opus . . acies consistat . . . seu *libeat* . . .'

‚Quamvis' cum apud Tibullum semper — (I, 4, 41. 43; 6, 67; 8, 15) — cum coniunctivo iungatur, in Lygd. el. 6, 29 cum indicativo legitur: ‚Quamvis . . . superest'.

‚Dum' particula, quae si duas actiones eodem tempore fieri significat cum indicativo construi solet, in Paneg. v. 50 cum coniunctivo exstat: ‚vixerit ille senex quamvis, dum Titan decurreret'.[2])

In eodem Paneg. v. 98 . 99 coniunctione ‚simul' cum coniunctivo iuncta iteratio actionis exprimi videtur: ‚simul

---

[1]) cfr. Draeger, hist. Synt. II, pg. 143.

[2]) Recte, ut opinor, Baehrensius in Tib. el. II, 3, 22 auctore cod. Vat. m. pr. particulam ‚cum' recepit. Nam etsi cetera manuscripta ‚dum' habent, tamen hoc loco propter coniunctivum ‚caneret' lectio unius Vat. est probabilior, quippe cum coniunctiones ‚dum' et ‚cum' saepius esse commutatas constet. Cfr. Draeger, hist. Synt II, pg. 579.

veniant certamina . . . *parent* acies concurrere . . tunc tibi non desit'.[1])

Proxima quaestio instituenda est de infinitivi usu.

§ 12. Quae de infinitivo mihi in promptu sunt digna mentione magnam in partem a Graecis in latinum sermonem petita esse videntur. Peculiarem igitur usum hi loci exhibent:

1) Lib. II. c. 6. v. 43, ubi adiectivum ,dignus' ut in graeca lingua ἄξιος infinitivus loco enuntiati relativi sequitur: ,nec lacrimis oculos *digna est foedare* loquaces.[2])

2) I, 6, 24 ,tunc mihi non oculis *sit timuisse* meis' (h. e. accidat, ut).[3])

3) I, 1, 57 ,non ego *laudari curo*.[4]) (Conf. Θεοκρ. XVI, 15 αἰνεῖσθαι σπεύδοντι).

4) I, 8, 45 ,*tollere* tunc *cura est* albos a stirpe capillos'; et I, 9, 51 ,cui formam *vendere cura est*'.[5])

5) I, 8, 35 ,Venus *inveniet* puero *concumbere* furtim, (Σοφ. O. T. 120 ἓν γὰρ πόλλ' ἂν ἐξεύροι μαθεῖν).

6) I, 9, 35, ubi verbum ,eripere' inf. c. acc. sequitur ,illis eriperes verbis mihi sidera caeli lucere et puras fulminis esse vias.' Usurpatur hoc loco ,eripere' brachylogia quadam; nam sensus est: illis persuaderes mihi verbis caeli non lucere et q. s.

7) II, 3, 49 ,ut neglegat adesse minas' (i. e. ne curet adesse minas).

8) I, 4, 9 & I, 6, 51 ,ubi imperativi verborum ,fugere' ,parcere' eadem dicendi ratione qua ab aliis scriptoribus

---

1) Versu quidem 98 coniunctivum ,veniant' excerpt. Par. tantum habent; sed coniunctivus ,parent' versu sequente inter omnes cod. praeter italos convenit. Itaque Draegerius errare videtur, quod coniunctivum post ,simul' adhibitum ad significandum iterationem inveniri negat (cf. h. S. II. pg. 573).

2) Eandem constructionem optimi aureae aetatis poetae Catull. Verg. Hor. Ov., inde ab Augusti temporibus etiam nonnulli solutae orationis scriptores Sen. Quintil. Plin. alii admiserunt. cf. Draeg., h. S. II. pg. 319.

3) cfr. Draeger, hist. Synt. II. pg. 291.

4) cfr. locos e Ciceronis poetarumque operibus collectos in Draeg. hist. synt. II. pg. 320. Apud Caes. Sall. Liv. ,curare' c. inf. non invenitur.

5) Idem usus saepius apud poetas et in oratione prosa argenteae aetatis occurrit. Cfr. Draeger, h. S. II. pg. 348.

imperativus ,noli' et a Graecis φείδου cum infinitivo construuntur:[1])

I, 4, 9 ,*fuge* te tenerae puerorum *credere* turbae'; I, 6, 51 ,*parcite violare* puellam.'

Item in Pseudotibullianis nonnulli versus inveniuntur, in quibus infinitivi usus a solita dicendi ratione discrepans se offert:

1) Apud Lygd. 2, 30 ,dolor huic et cura Neaerae . . . *causa perire* fuit'. (cfr. Verg. A. 10, 90 ,quae *causa* fuit *consurgere* in arma.')

2) in Paneg. 35 ,*cupidi componere* laudes.'[2])

3) in Paneg. versibus 63 & 97, in quibus ,aptus' ut a Graecis ἐπιτήδειος c. inf. usurpatur: ,apta (Circe) vel herbis captas vel cantu veteres mutare figuras'; ,aptior . . . tangere'.[3])

4) in Sulp. el. 5, 10 ,ullae non ille puellae *servire* aut cuiquam *dignior* illa viro'. (cfr. Tib. II, 6, 43).

Praeterea cum inf. iungitur:

5) ,est' (ἔξεστι) in Sulp. el. 2, 3 ,nec tibi *sit acuisse*' (μὴ εἴη); — (cfr. supra Tib. I. 6, 24); — similiter in Paneg v. 100 ,tunc tibi non *desit* faciem *componere* pugnae'.

6) ,pudor est', ut saepius apud Ov.[4]), in Lygd. el. 2, 7 ,nec mihi vera *loqui pudor est*'.

7) ,valere' in Paneg. v. 2 ,ut infirmae *valeat subsistere* vires'; 55 ,nec *valuit* lotos coeptos *avertere* cursus.[5])

8) ,dare' notione ,permittendi'[6]) apud Lygd. 4, 48 ,mihi . . eventura pater *posse* videre *dedit*'.

9) ,gaudere' in Paneg. 115 ,celerem super *edere* corpus *gaudet* equum'.[7])

10) ,deficere'[8]) in Paneg. 191 ,non te *deficient* nostrae *memorare* Camenae'.

---

[1]) cfr. Draeger, h. S. II. pg. 322.
[2]) cfr. Draeger, hist. Synt. II. pg. 353 & 356.
[3]) cfr. Draeger, hist. Synt. II. pg. 358.
[4]) cfr. Draeger, hist. Synt. II. pg. 347.
[5]) In poesi haec constructio non ante Lucretium, in orat. pros. non ante Liv. invenitur. Cf. Draeg. h. S. II. pg. 293.
[6]) Ex aliis poetis Draeg. pauca exempla affert in h. S. II. pg. 350.
[7]) De eodem Lucr. Verg. Hor. Iuv. usu cfr. Draeger hist. Synt. II. pg. 333.
[8]) Errat Draeger, qui a nullo scriptore nisi Propertio hoc verbum iungi c. inf. putat. Cfr. eius h. S. II. pg. 326.

11) imperat. ‚parce' apud Lygd. 5, 6 ‚immerito iuveni *parce nocere*, dea'; (cf. supra Tib. I, 6, 51).

Denique apud Tib. verba ‚confidere, docere, iurare, negare, simulare' infinitivus sine accusativo sequitur:

I, 9, 45 ‚stulte *confisus amari*';

II, 6, 13 ‚*iuravi* quotiens *rediturum* ad limina numquam';

I, 5, 73, ‚*simulat transire* domum.'

Maxime autem mira est omissio accusativi, si hic non ad subiectum est referendus:

I, 3, 27 ‚nam *posse* mederi (te) picta *docet* templis multa tabella tuis'; II, 6, 48 ‚*negat* (eam) *esse* domi'.

Minus post verbum iubendi desideramus accusativum, si hic aut ex contextu facile suppletur aut aliquid in universum iubetur, cum etiam optimi scriptores Cic. Caes. talem usum raro quidem[1]) sibi permiserint:

II, 3, 42 ‚praeda vago *iussit geminare* pericula ponto';

II, 4, 53 ‚quin etiam sedes *iubeat* si *vendere* avitas'.

§ 13. Cum apud scriptores latinos ante Augusti tempora neque participium futuri activi neque gerundivum loco enuntiati finalis vel relativi admittatur,[2]) Tibullus talis usus haec exempla praebet:

I, 1, 61 ‚flebis et *arsuro* positum me, Delia, lecto'.

I, 9, 9 ‚lucra *petituras* ducunt sidera rates'.

I, 10, 14 ‚*haesura* in nostro tela gerit latere'.

I, 10, 46 ‚pax duxit *araturos* sub iuga panda boves'.

II, 1, 61 ‚curam *exhibitura* puellis molle gerit . . vellus ovis (μέλλουσα παρέχειν).

II, 2, 5 ‚suos adsit Genius *visurus* honores'.

II, 3, 76 ‚nullus erat custos, nulla *exclusura* dolentes ianua'.

II, 5, 35 ‚illa saepe gregis ditis *placitura* magistro ad iuvenem . . . est vecta puella'.

II, 5, 51 ‚te quoque iam video, Marti *placitura* sacerdos Ilia, Vestales deseruisse focos'.

---

1) cfr. Draeger, hist. Synt. II. pg. 313.
2) cfr. Kuehner, lat. Gram. II. § 136, 4, c.

I, 2, 72 ‚insideat celeri *conspiciendus* equo‘.

I, 6, 37 ‚mihi *servandam* (tuam coniugem) credas‘.

Lygd. 4, 9 ‚et vanum *ventura* hominum genus omina noctis farre pio placant‘; 6, 28 ‚aeriae et nubes *diripienda* (vota) ferant‘.

Sulp. el. 2, 22 ‚incidat in saevas *diripienda* feras‘; 5, 4 ‚staret ut ante tuos *conspicienda* focos‘.

Ter gerundivo ut adiectivis in ‚ilis‘ exeuntibus significatur aliquid fieri posse vel nequire, id quod ab usu aureae aetatis prorsus alienum est:[1])

I, 7, 2 ‚hunc cecinere diem Parcae fatalia nentes stamina non ulli *dissoluenda* deo‘.

I, 7, 40 ‚Bacchus et agricolae magno confecta labore pectora tristitiae *dissoluenda* (i. e. dissolubilia) dedit‘.

II, 4, 16 ‚non ego vos, ut sint bella *canenda*, colo‘.

Ita Sulp. el. 3, 12 ‚vota vix *numeranda*‘.

Sed his absolutis de particulis, quatenus in earum usu a vulgata dicendi ratione receditur disseremus.

De particularum usu.

§ 14. Primum quoad licentiae Tib. in adhibendis negationibus sit progressus, exponere conabimur. Bis igitur ‚nec‘ pro ‚neve‘ cum imperativo copulatur, etsi hic antecedenti imperativo non opponitur:[2]) I, 4, 21 ‚nec iurare time‘; I, 8, 27 ‚nec tu . . esse memento‘.

Cum coniunctivo vel primae vel secundae vel tertiae personae ad exprimenda optata vel praecepta adhibito plerumque ‚nec‘ aut ‚non‘ iungitur, ubi ‚neve‘ aut ‚ne‘ usurpari solet.[3]) Putarim equidem talem coniunctivum saepe ad vim potentialis accedere:

---

[1]) cfr. Kuehner, lat. Gram. II. § 130, 2.
[2]) De usu aliorum poetarum. cfr. Draeger hist. Synt. I. pg. 302.
[3]) cfr. Draeger, hist. Synt. I. pg. 287.

I, 6, 69 ‚*nec possim*'; — (contra II, 4, 7 ‚o ego ne possim'); — I, 6, 75 ‚*nec* saevo *sis* casta metu'; II, 2, 13 & 15 ‚*nec* tibi *malueris* . . . nec tibi (malueris); — I, 1, 9 ‚*nec* Spes *destituat*'; I, 1, 31 ‚*non* agnam*ve* sinu *pigeat* fetum*ve* capellae'; I, 3, 89 ‚*nec* quisquam *nuntiet* ante'; I, 4, 47-49 ‚*nec* te *paeniteat* . . *nec* humeri retia ferre *negent*'; I, 4, 62 ‚*nec superent*'; I, 6, 24 ‚mihi *non* oculis *sit* timuisse'; I, 7, 57 ‚*nec taceat*'; I, 9, 23 ‚*nec* tibi spes *sit*'; I, 9, 59 ‚*nec dicatur*'; II, 4, 42 ‚*nec* quisquam . . . *addat* aquam'; II, 1, 9 *non audeat* ulla.'

Lygd. 4, 1 ‚*nec sint* somnia vera'; 6, 45 ‚*nec* vos *capiant* brachia'.

Paneg. 8 ‚*nec respueris*'; — 27 ‚*nec careat*'; 76 ‚*non sileantur*.'

Sulp. el. 4, 13 ‚*nec sis* iniusta'; — 2, 3 *nec* tibi *sit* acuisse'; 5, 11 ‚*nec possit*'. (‚Neu' legimus I, 2, 3 ‚neu quisquam excitet'; II, 1, 19 ‚neu seges eludat . . neu timeat'). — Quos locos si comparas, non dubites, quin in adhibendis negationibus ‚nec' vel ‚neve' Tib. certae regulae non fuerit adstrictus.

‚Nihil' pro ‚non' ut in graeca lingua οὐδὲν pro οὐ ponitur I, 8, 24 ‚forma nihil . . . utitur auxiliis'; epigr. 1, 7 ‚nil opus invidia est.' Sulp. el. 3, 21 ‚nil opus est fletu.'[1])

In coniungendis verbis vel membris enuntiati Tibullus aliquoties ab usu cotidiano perticularum recedit. Vim igitur negationis ex uno membro in alterum transfert non solum particula ‚aut'[2]) sed etiam ‚ve'[3]).

Cfr. I, 1, 30 ‚*nec* tamen interdum pudeat tenuisse bidentem *aut* . . increpuisse boves'.

I, 1, 41 ‚*non* ego divitias patrum fructus*ve* requiro'.

I, 2, 95 ‚stare *nec* ante fores puduit carae*ve* puellae ancillam . . detinuisse'. (cfr. Verg. A. VII, 805, *non* illa colo calathis*ve*').

Ita Lygd. 3, 3 sq. ‚*non* ut . . prodirem . . ., *aut* ut renovarent'.

---

1) cfr. Kuehner, lat. Gram. II. § 149, 2.
2) cfr. Draeger, hist. Synt. I. pg. 132.
3) cfr. Draeger, hist. Synt. II. pg. 139.

4, 91 ,barbara *nec* Scythiae tellus horrenda*ve* Syrtis.'

Similiter duo membra praemissa negatione particulis ,ve-ve' ,aut-aut' coniunguntur, ubi ,neve-neve' exspectamus:

I, 1, 31 ,*non* agnam*ve* sinu pigeat fetum*ve* capellae . . referre';[1])

Lygd. 6, 45. 46 ,*nec* vos *aut* capiant . . *aut* fallat'.[2])

A Tib. II, 4, 17 ,nec . . que — et' pro ,nec-nec' vel ,nec . . . aut' adhibetur: ,*nec* refero solis*que* vias *et* qualis . . . Luna recurrit."

Magis autem est mirum, in Lygd. el. 4, 89 et in Paneg. 77. 78 alterum membrum, in quo negatio antecedentis membri est supplenda, copulativa particula ,que' vel ,et' adnecti:

Lygd. 4, 89 ,*nec* canis (te genuit) . . ., Scylla*que* . . ., nec te . . leaena tulit'.

Paneg. M. 77. 78 ,*non* . . sileantur pascua Solis, *non* amor *et* arva Calypsus, finis *et* erroris . . . Phaeacia tellus.'[3])

Praeterea apud Albium I, 6, 19 ,neve — que . . ne' pro ,neve-neve' occurrit;

,non — nec' pro ,nec — nec' I, 1, 63. 64; I, 6, 67. 68; II, 4, 16. 17; Lygd. 3, 29; 5, 7. 9; —

,nec-non' (οὔτε-οὐ) pro ,nec-nec' I, 6, 45. 46; —

,que-et'[4]) pro ,et-et' I, 1, 35; 3, 25; 9, 69. 70; 10, 43; II, 4, 17; 4, 27. 28 (Lygd. 4, 44 ,que-et-que'); —

,que-que'[5]) pro ,et-et' I, 1, 33; 2, 29; 2, 47; 4, 25; 5, 35; 5, 64; 6, 61; 6, 71; 9, 20. 72; 10, 37. 53. 65; II, 1, 67; 3, 28; 6, 9. (Paneg. 11. 36. 156. 187).

Post negationem particula ,sed' in compluribus membris repetitur, ubi particula copulativa adhiberi solet:

I, 8, 25 sq. ,forma nihil magicis utitur auxiliis: Sed corpus tetigisse nocet, *sed* longa dedisse oscula, *sed* femori conseruisse femur'.

---

1) Similiter Hor. sat. II, 7, 64 ,non . . ve-ve' pro ,neque-neque' legitur.

2) cfr. Draeger, hist. Synt. II. pg. 135.

3) Non offendimur coniunctione ,et' Tib. I, 6, 20, cum duae actiones arcte inter se cohaerentes copulentur. Item II. 8, 82 verbis ,vincla' ,verbera' copulativa particula ,que' coniunctis similia significantur.

4) cfr. Kuehner, lat. Gr. II. § 155, c. & Draeg., hist. Synt. II. pg. 75.

5) cfr. Kuehner, lat. Gr. II. § 155, 2 & Draeger, hist. Synt. II. p. 76.

I, 7, 44 ,non tibi sunt tristes curae nec luctus, Osiri, sed chorus et cantus et levis aptus amor, *sed* varii flores . ., fusa *sed* . . . palla.'[1])

,Ve-ve' coniunctio poetis tantum propria[2]) invenitur: Tib. I, 1, 31; II, 6, 52; deinde in Paneg. 39. 40. 89. 163. 201.

In Pseudotibullianis tantum has deprehendimus coniunctiones: ,sive-sive', ,seu-sive' (Paneg. 79. 80), ,sive-seu'; (Tib. & Sulp. semper ,seu-seu' habent); ,autem' Lygd. 5, 3; ,etenim' Lygd. 1, 14; ,ergo' semper primo loco Lygd. 2, 9; 4, 75; 6, 51; Paneg. M. 175; ,etsi' Lygd. 6, 47; ,quare' Lygd. 4, 49; ,quippe' Paneg. 157: ,quamquam' ibid. 1. 28.

De collocatione verborum.

§ 15. De collocatione nominum primum in universum notandum est, adiectivum semper fere a suo substantivo uno vel compluribus vocabulis insertis distineri. Sed ut accuratius de hac re agam, in iis versibus, in quibus duo substantiva cum adiectivis copulata occurrunt, ordo vocabulorum Albio usitatissimus is est, ut unum adiectivum a suo substantivo interposito altero substantivo disiungatur, ita ut initio duo adiectiva, in fine duo substantiva iuxta se ponantur, velut I, 18

,facili grandia poma manu'.

Quae collocatio multiplici modo variatur. Aut enim extrema illius figurae membra inter se transponuntur, ut I, 5, 48

,venit in exitium callida lena meum'

aut tertium et quartum permutantur, velut I, 1, 47

,gelidas hibernus aquas cum fuderit auster'

aut secundum et tertium transferuntur, ut I, 1, 2

,culti iugera multa soli'

aut tertium membrum primo loco ponitur non mutato ordine aliorum nominum, velut I, 7, 2

,stamina non ulli dissoluenda deo'.

---

1) cfr. Kuehner, lat. Gram. II. § 162, 5.
2) cfr. Draeger, hist. Synt. I. pg. 139.

Quae collocatio, si in illo versu I, 1, 8 ‚facili grandia poma manu' singula vocabula per ordinem numeris 1, 2, 3, 4 significamus, his schematis exprimi potest:

I	1.	2.	3.	4[1]
II	4.	2.	3.	1[2]
III	1.	2.	4.	3[3]
IV	1.	3.	2.	4[4]
V	3.	1.	2.	4[5]

Singillatim inveniuntur haec schemata:

4.	3.	2.	1[6]
4.	3.	1.	2[7]
1.	3.	4.	2[8]

1) In hexam. I, 1, 7. 17; - 2, 49; - 3, 65; - 5, 63; - II, 1, 3; - 5, 1; - 6, 37; — epigr. 1, 15; — Paneg. 19. 34. 41. 49. 56. 58. 106. 121 129. 132. 149. 175. 181. 194; — Sulp. el. 1, 13. 19; epist. 5, 1; (Tib. I, 1, 39 & Lygd. 1, 3 quartum membrum in pentametrum translatum est.)
in pentam. I, 1, 6. 8. 10. 12. 42. 52; — 2, 70. 88; — 3, 34. 52. 60. 66. 74. 76; — 4, 8. 12. 20. 44. 70; — 5, 4. 24. 44; — 7, 18. 34. 38. 46. 48. 54; — 8, 2. 16. 30. 42. 62; — 9, 26. 68; — 10, 4. 22. 26. 38. 40; — II, 1, 20. 22. 26. 40. 44. 46. 48. 52; — 2, 6; — 3, 37. 47. 51. 75; — 4, 28. 30; — 5, 38. 42; — 6, 12; — epigr. 1, 20; — Lygd 2, 12; — 3, 8. 18. 38; — 4, 16. 36. 42. 52. 60. 78; — 5, 16. 28; — 6, 12. 42. 46. 58. 60; — Sulp. el. 1, 18. 24; — 2, 14; — 3, 6. 14; — 5, 2; — epist. 2, 4; — 4, 6; — 5, 6; —

2) Nunquam in hexam.; in pentam. I, 3, 28; — 5, 48; — 7, 42; — 9, 82; — epigr. 1, 4; — Lygd. 4, 30; —

3) In hexam. I, 1, 47. 63; — 2, 31; — 3. 29. 55. 75; — 6, 79; — 9, 49. 57; — II, 1, 21; — 4, 23; — 5, 81; epigr. 1. 1; — membrum ultimum in pentam. transfertur I, 7, 39; - 8, 37; — II, 1, 27 — Lygd. 1, 9. 11; — 3, 17; — 4, 15. 77; — 5, 1. 9. 25; — Paneg. 13. 20. 38. 57. 76. 77. 97. 105. 112. 117. 123. 124. 125. 126. 127. 137 (ultimum membr. in sequentem versum translatum est: 139. 144. 148. 155. 164. 171 196).
in pentam.: I, 3, 48. 80; — 4, 14. 76; — 5, 46. 50; — 6, 14. 28; — 7, 14. 22. 26; — 10, 10. 14. 20; — II, 1, 34. 62; — 2, 14; — 3, 6, 43. 45. 78; — 4, 10. 12. 48; — 5, 28. 30. 34; — epigr. 1, 10; — Lygd. 1, 22; — 2, 28; — 3, 2. 28; — 4, 2. 28; — 5, 20. 30; Sulp. el 1, 20; — 2, 10; —

4) In hexam. I, 2, 5; — 6, 15; — 7, 5. 25; — II, 2, 5; — 4, 9. 59; — Lygd. 4, 31. 59; — Paneg. 150;
in pentam. I, 1, 2. 22; — 2, 6. 64; — 3, 6. 24. 62. 86; — 4, 6. 30; — 5, 54. 70; — 6, 40. 78; — 7, 6. 8; — 9. 10. 54; — 10, 24. 30. 36. 46; — II, 1, 86. 88. 90; — 2, 4. 22; — 3, 8. 10; — 5, 54; — Lygd. 4, 32. 68. 76; — Sulp. el. 1, 22; — 3, 2; —

5) In hexam. I, 1, 21; — 3, 63; — 5, 3; — 6, 22; — Lygd. 3, 13. 15; — 4, 7. 17. 23; — 4, 89; — Paneg. 128. 172;
in pentam.: 1, 7, 2; — 8, 14. 64; — 9, 52; — Lygd. 4, 50; — 5, 2; —

6) Tib. I, 9, 80; — Lygd. 1, 12; — 5, 12. 18; — Paneg. 166;

7) Tib. II, 5, 57;

8) Tib. I, 1, 65;

§ 16. Pronomen relativum in locum secundum transfertur: I, 1, 4. 50; 2, 41; 4, 39; 6, 21; 7, 13. 58; 9, 24. 72; 10, 6. 59. 65; II, 2, 13. 15. 16; 3, 30. 64; 4, 10; 5, 16. 40. 82. 102; 6, 5. 13; Lygd. 3, 36; 4, 49; Paneg. 197; Sulp. el. 1, 17; 3, 11; 5, 6; — in tertium: I, 3, 7; 4, 24; 7, 3; 10, 1; II. 5, 96; Lygd. 3, 17. 27; 5, 1. 21; Paneg. 147; — in quartum II, 6, 8; Lygd. 2, 4; Paneg. 60.

Pronomen interrogativum secundo loco legimus: I, 8, 49; 9, 17; II, 3, 30. 80; 4, 51; 6, 1. 13; Lygd. 3, 11; Sulp. ep. 5, 5. — Adverbium interrog. ‚quam' I, 6, 84 secundo — I, 4, 28 tertio — I, 8, 53 quarto loco ponitur.

Nec minus Albius coniunctionum inversionem amat. Ac primum quidem de particulae ‚et' usu, quem M. Hauptius in observ. crit. inde a pag. 49 accurate tractavit, hic strictim commemorem, illam quadragies ter a suo loco removeri eique unum raro duo vocabula polysyllaba plerumque verbum anteponi:[1]) I, 1, 61. 62. 77; 2, 6. 39. 70. 71 (bis); 4, 5. 6. 61; 5, 55. 58; 6, 41; 7, 12. 15. 21. 38. 54; 10, 30. 44. 58. 68; II, 1, 30. 32. 55. 64; 2, 9; 3, 10. 25. 48. 59; 4, 56; 5, 85. 104; — duobus vocabulis postponitur: I, 2, 98; 3, 82; 9, 16; II, 5, 98;

Multo rarius in Pseudotibullianis ‚et' particula in secundum — semel in tertium locum (Sulp. el. 3, 26) — removetur: Lygd. 1, 10; 2, 4. 24; 5, 31; 6, 28; Paneg. 20. 56. 58. 78. 154. 168. 170;

Vocula ‚nec' in secundum locum transfertur Tib. I, 1, 72; 2, 95; 4, 62; 6, 69; 7, 26; Lygd. 4, 26. 91; Paneg. 42. 125. 127. 144. 164; — in tertium Tib. I, 8, 4; Paneg. 200;

Particula ‚que', si enuntiata coniungit, aliquoties verbo adnectitur, hoc autem a primo loco ita removetur, ut adiectivum a suo substantivo divellatur.

[1]) Hanc callocandi rationem etiam alii poetae, qui inde ab Augusti aetate fuerunt, imprimis Ovidius (nunquam in Metamorphoseon libris) Propertius secuti sunt. Apud priscos autem scriptores, quin etiam apud Catullum ‚et' semper primum locum obtinet. Cfr. M. Haupt, obs. critic. p. 49 sq.

Cfr. I, 1, 40 ‚de facili composuit*que* luto'.

I, 3, 14 ‚quin fleret nostras respueret*que* vias'.

I, 3, 38 ‚effusum ventis praebuerat*que* sinum'.

I, 6, 54 ‚ut (labitur) vulnere nostro sanguis, ut hic ventis diripitur*que* cinis' (= ut [labitur] . . sanguis diripitur*que* hic . . . cinis'.)

I, 6, 72 ‚in medias properans proripiat*que* vias'.

I, 7, 62 ‚inoffensum rettulerit*que* pedem'.

II, 3, 57 ‚auratas disposuit*que* vias'.

II, 5, 90 ‚flammas transiliet*que* sacras'. Ita in Sulp. el. 6, 4 (Baehr. ep. 1, 4) ‚attulit in nostrum deposuit*que* sinum'.

Item Tib. particulas ‚que' ‚ve' adiectivo, cui logica ratione adiungendae erant, avellere verboque subsequenti, quo illud adiectivum a suo substantivo distinetur, adnectere non est veritus.

Cfr. I, 10, 54 ‚scisssosque capillos femina perfractas conqueritur*que* fores';

II, 5, 86 ‚dolia dum magni dificiant*que* lacus'.

II, 6, 16 ‚fractas . . sagittas . . exstinctas aspiciam*que* faces'.

II, 3, 12 ‚nec cithara intonsae profuerunt*ve* comae'.

II, 6, 52 ‚quis meam teneat, quot teneat*ve* modis'.

Haec collocatio particularum ‚que' et ‚ve' a Lygdami et auctoris Paneg. ad Mess. ratione dicendi prorsus aliena est; nam Lygd. 3, 4 ‚que' non verbo sed adiectivo adnexum est: ‚insignis clara conspicuus*que* domo'. Alibi haec particula semper primo vocabulo coniungitur, sive hoc verbum sive adiectivum est, ut Lygd. 1, 11. 17; Paneg. 14;

Minoris autem momenti illud est, perticulam ‚que' in carminibus et Tibullianis et Pseudotibullianis praepositioni adnecti, etsi eadem non antecedit:[1]) Cfr. Tib. I, 2, 40 & 4, 25 ‚perque'; — II, 1, 67 ‚interque'; — Lygd. 1, 4 & 6, 47 ‚perque'; — 3. 8 ‚inque'; — Paneg. 93 ‚inque'.

---

[1]) cfr. Draeger, hist. Synt. II. pg. 33.

‚Sed‘ particula loco secundo posita est: Tib. I, 7, 46; 8, 63; II, 4, 3; Lygd. 1, 9; Paneg. 34; — quarto loco Lygd. 5, 28;

‚Aut‘ apud Tib. II, 5, 112 a suo loco uno verbo removetur, — in Paneg. 142 tertio loco legitur.

‚Cum‘ coniunctio in secundum locum transfertur: Tib. I, 2, 25; 3, 9; 4, 33; 5, 12; 7, 21. 61; II, 1, 47; 3, 22. 32. 43; 5, 109; 6, 47; Paneg. 204; Sulp. el. 5, 19; — in tertium: Tib. I, 1, 59; 10, 8. 16; II, 5, 14; Paneg. 123; — in quartum Tib. I, 1, 47;

‚Dum‘ apud Tib. I, 1, 58; 2, 4. 75; 3, 25; 5, 22; II, 5, 86 et in Paneg. 81 secundo, — apud Tib. I, 3, 56 tertio loco apparet.

‚Licet‘ coniunctio apud Tib. I, 7, 42, in Sulp. el. 2, 17 secundo, — in Paneg. 194 tertio loco, — ‚modo‘ apud Tib. I, 2, 33; 6, 64 secundo loco invenitur.

‚Quod‘ voculam in Tib. carm. bis secundo loco — I, 3, 79; 4, 11 — item in Sulp. ep. 4, 1 tertio, — 6, 5 quarto loco me legisse memini.

‚Si‘ particula secundo loco apparet: I, 6, 23; 8, 61; 9, 33. 34; II, 4, 33; Paneg. 3. 43. 197; Sulp. el. 6, 6 (siquis); ep. 5, 4; — tertio Tib. I, 6, 74; II, 4, 53; Lygd. 4, 62 (siqua); Paneg. 178; — quarto loco: Tib. I, 4, 49;

‚Ubi‘ coniunctionem, quam Lygd. nusquam habet, Tib. II, 5, 83 secundo, — I, 4, 31 tertio loco exhibet.

‚Ut finale‘ a Tib. novies in secundum locum transfertur plerumque verbo praeposito: I, 1, 18 ‚terreat ut‘; — 2, 2 ‚occupet ut‘; — 4, 52 ‚vincat ut‘; — 6, 16 ‚peccet ut‘; — 9, 26 ‚ederet ut‘; — 10, 48 ‚funderet ut‘; — II, 1, 50 ‚compleat ut‘; — 2, 22 ‚ludat ut‘; — 3, 48 ‚lentus ut‘; — contra in Pseudotibullianis haec particula, si a suo loco removetur, alicui nomini postponi solet. Cfr. Lygd. 1, 12 ‚indicet ut‘; — 3, 7 ‚tecum ut‘; — Paneg. 86 ‚fontibus ut‘; 88 ‚laudis ut‘; — 102 ‚rectus ut‘; — 104 ‚dexter uti‘; — Sulp. el. 5, 4 ‚staret ut‘.

,Ne finale' secundum locum obtinet: Tib. I, 5, 5; 9, 41; Paneg. 11; Sulp. ep. 4, 2.

,Ut consecutivum' apud Tib. II, 6, 42 et in Paneg. 6 secundo loco legimus.

,Ut comparativum' hisce locis in secundum locum transpositum est — nunquam verbo praecedente —: II, 1, 2. 15; 6, 36; Paneg. 22. — In Paneg. ter hanc voculam tria vocabula, etiam verbum, praecedunt: v. 23. 41 (veluti). 119.

Denique in Pseudotibullianis haec peculiaria exhibentur: Secundo loco inveniuntur ,etenim' apud. Lygd. 1, 14; ,nam' ibid. 4, 43; ,seu-sive' in Paneg. 79. 80; ,quamvis' in Sulp. el. 5, 18. — Tertio loco leguntur: ,seu-seu' Paneg. 206. 207; — quarto: ,sive' Lygd. 4, 12; ,quamvis' Paneg. 50.

Quae omnia si comparamus, duas res facile videbimus, primum Albium pronomen relativum vel interrogativum et coniunctiones saepissime a suo loco removisse iisque magno cum studio verbum anteposuisse, tum in collocatione coniunctionum non nihil interesse inter Tibulli et auctorum Pseudotibullianorum usum.

§ 17. Etiam in praepositionum collocatione[1]) Albius saepissime, rarissime Pseudotibullianorum poetae a puro sermone recedunt. Praepositio ,per' igitur ut a Graecis πρὸς in iuramento a suo substantivo disiungitur: I, 5, 7 ,*per* te furtivi *foedera* lecti, per Venerem quaeso compositumque caput'; ita Lygd. 1, 15 ,*per* vos, auctores huius mihi carminis, oro *Castaliamque umbram* Pieriosque lacus, ite . .'; Sulp. el. 4, 7 ,*per* te *dulcissima furta* perque tuos oculos per Geniumque rogo.'

Aliquoties praepositio pronomini personali aut relativo cum substantivo non coniuncto postponitur: ,quam circum' I, 1, 23; 3, 68; ,te circum' I, 5, 11; ,te propter' I, 6, 57. 65; 7, 25; II, 6. 35; ,te praeter' epigr. 1, 3; ,hanc inter' Paneg. 165.

Semel substantivum cum adiectivo non coniunctum praepositioni antefertur: ,viro coram' I, 2, 21;

1) cfr. Kuehner, lat. Gram. II. § 113.

Imprimis autem illa, quam supra iam memoravi, Tibulliana consuetudo distinendi uno vel pluribus verbis vocabula cohaerentia etiam ex collocatione praepositionum elucet. Saepissime enim hae inter adiectivum vel participium vel pronomen praecedens et substantivum inseruntur, ut I, 1, 15 ,nostro de rure'; ita I, 3, 61; 5, 23; 10, 27; II, 1, 3. 13; Paneg. 58. 152. 156; Sulp. el. 1, 19.

Plerumque inter adiectivum et praepositionem unum vel complura vocabula inserta sunt, ut I, 1, 17 ,*pomosis*que ruber custos donatur *in hortis*'; itidem I, 1, 14. 56. 65; 3, 72. 75; 4, 14. 45; 5, 36; 7, 17. 32. 63; 8, 6. 19. 36; 9, 44. 66; 10, 10. 16; II, 1, 15. 31. 54. 56. 59. 68; 2, 13; 3, 3; 4, 22. 44. 46; Lygd. 2, 9; 4, 20. 21; Paneg. 30. 38. 64. 151. 159. 176. 193. 202. In Paneg. saepius non adiectivum et praepositio, sed praepositio et substantivum uno vel compluribus vocabulis insertis distinentur, ut 72 ,cum canibus *rabidas inter* fera serperet *undas*'; item 79. 114. 134. 185; epigr. 2, 3; — apud Tibullum talem usum semel me invenisse memini I, 9 (8), 44 ,latuit *clausas post* adoperta *fores*'.

Porro Albius ut alii poetae praepositionem inter substantivum et adiectivum subsequens vel genetivum ponere non dubitavit: I, 9, 9 ,freta per parentia'; II, 3, 22 ,valle sub alta'; II, 1, 74 ,limen ad iratae'; — praepositio a substantivo praecedente aut adiectivo sequente uno vocabulo disiungitur: I, 3, 32 ,*turba* debeat *in Pharia*'; I, 3, 58 ,*campos* ducet *in Elysios*'; I, 4, 26 ,*crines per*que Minerva *suos*'; duo vocabula inserta sunt in Sulp. el. 1, 23 ,*multos* haec sumet *in annos*'.

Neque minus Albius appositionem substantivi ante praepositionem ponere est ausus I, 3, 49 ,Iove sub domino caedes . . . semper'.

Saepius praepositio a substantivo uno (I, 10, 58) vel compluribus verbis disiuncta est: I, 2, 34 ,*ad* digiti me taciturna *sonum*'; I, 5, 26 ,consuescet amantis garrulus *in* dominae ludere verna *sinu*'; I, 6, 30 ,*contra* quis ferat arma *deos*'; I, 7, 56 ,*circa* stet venerata *senem*'. — Paneg. 70

‚illum *inter* geminae nantem *confinia* mortis nec Scylla conteruit . .' T m e s i s quae vocatur bis invenitur: I, 2, 69 ‚victas agat ante catervas'; I, 5, 51 ‚hanc volitent animae circum.'

De periodo Tibulliana.

§ 18. In formandis periodis vix interest inter Tibulli et Lygdami usum. Uterque igitur cum abhorret longas periodos atque enuntiata inter se contorta, tum ordinem paratacticum imprimis amat, sive sententiam uno disticho, ut fere fit, sive duobus, sive tribus, sive quattuor distichis, quod quidem raro fit, amplectitur. Itaque nemo carmina Tib. perlegens facile haerebit aut cogetur rationem enuntiati membrorum operose inquirere, sed omnia fere plana atque dilucida sunt. Tamen tantae orationis Tibullianae simplicitati et aequalitati varietas quaedam atque vis in conexu rerum copulatur, ita ut nobis omnino nulla exhibeatur molestia. Hoc autem illa potissimum figura, quam asyndeton vocant, efficitur. Quam cum poeta totiens adhibeat, ut nonnunquam abrupte scribere videatur, tamen magna cum sollertia ea utitur. Non raro igitur priori sententiae membro alterum continuatur o m i s s a c o n i u n c t i o n e c a u s a l i [1]) aut c o n c l u s i v a [2]) aut a d v e r s a t i v a.[3])

---

1) I, 1, 34. 57. 63. 70. 77; — 2, 16. 19. 30. 36. 90. 99; — 3, 5; — 4, 16. 21. 23. 27. 40. 58. 71. 78; 5, 57. 70. 76; — 6, 8. 37. 66; — 7, 9; — 8, 7. 28. 29. 48. 49. 51. 56. 67; — 9, 5. 18. 24; — 10, 15. 18; — II, 1, 1. 7. 29. 87; — 2, 1; — 3, 14. 69; — 4, 14. 16. 31; — 5, 1. 56. 84; — 6, 44; — epigr. 1, 2. 6. 8. 18; — L y g d. 2, 6; — 3, 20; — 4, 20. 63. 76; — 6, 4. 18. 32. 38. 49; — S u l p. el. 1, 24; — 3, 15. 16. 19. 21; — 4, 20; — 5, 14; — (in P a n e g. hos tantum locos inveni: 133. 136. 163. 180. 193);

2) I, 2, 100; — 6, 29. 30; — II, 1, 9. 13. 18; — 2, 2. 10; — 3, 2; — 4, 2. 6. 20. 26; — 5, 2. 7; — L y g d. 4, 80; — 6, 6. 22; — epigr. 2, 4;

3) I, 1. 5. 22. 35. 55. 75; — 2, 73; — 3, 3; — 4, 36. 75. 77; — 5, 17; — 6, 10. 85; — 8, 75; — 9, 29; — 10, 29; — II, 5, 88; — L y g d. 4, 7; — 5, 6; — 6, 57; — S u l p. el. 5, 16; — 6. 5; — epist. 4, 5.

Quantopere Albius huic figurae, asyndeto dico, studuerit, etiam ex eo apparet, quod loco coniunctionum ,neque-neque, saepe ,non-non‘ invenimus.[1])

Deinde hoc loco illud non est alienum, Tibullum nonnunquam coniunctionem condicionalem[2]) vel concessivam omittere et structura paratactica[3]) uti: I, 6, 53 ,(si) attigeris, labentur opes‘; — I, 10, 12 ,(si) tunc mihi vita foret dulcis, nec tristia nossem arma‘; — II, 4, 60 ,(licet) mille alias herbas misceat illa (Nemesis), bibam‘; — (cfr. Hor. ep. I, 1, 28 ,non possis oculo quantum contendere Lynceus, non tamen idcirco contemnas lippus inungi); — similiter II, 6, 19 ,iam mala finissem leto, sed credula vitam Spes fovet, (= nisi credula vitam Spes foveret); — Paneg 94 (si) libeat.‘

Tum transitio non raro antithesi sententiarum (cfr. I, 1, 41—44) aut vocabulorum, sive nomina (cfr. I, 1, 53. 55 ,te-me‘) sive adverbia (cfr. I, 1, 21. 22 ,tunc-nunc‘) inter se opponuntur, — plerumque autem repetitione alicuius vocabuli ex antecedente enuntiati membro efficitur, — quo fit, ut saepissime figura anaphorae occurrat.

Porro Albius coniunctiones ,et‘ ,que‘ ,atque‘ quibus duo enuntiata relativa, quae ad idem substantivum pertinent, copulari solent, plerumque neglegit, aut, si adhibet, pronomen relativum in enuntiatione secundaria omittit, quod quidem non est mirum, si utrumque pronomen in eodem casu apparet aut si e genetivo, dativo, ablativo prioris pronominis nominativus vel accusativus subsequentis facile potest suppleri:[4]) II, 5, 31. 32 (pendebat in arbore) fistula, cui semper decrescit arundinis ordo: et calamus cera iungitur usque minor;‘ I, 8, 31 ,carior est auro iuvenis, cui levia fulgent ora nec amplexus aspera barba terit‘; ita Sulp. el. 1, 15 ,sola puellarum digna est, cui mollia caris vellera det sucis bis madefacta Tyros possideatque...‘ Maxime autem omissio relativi pronominis II, 3, 57

---

1) Cfr. I, 1, 65—66; — 2, 31. 32. 85. 87; — 3, 5. 7. 41. 43. 47. 51. 52; — 6, 37. 38; — 9, 32; — 10, 9. 35; — Lygd. 2. 5; — Paneg. 76. 77. 198. 199; —

2) cfr. Kuehner, lat. Gram. II. § 178, 4, c.

3) cfr. ea, quae supra exposuimus § 11.

4) cfr. Kuehner, lat. Gram. II. § 198, a.

ab usu communi abhorret: ,illa gerat vestes tenues, quas femina Coa texuit, auratas disposuitque vias.'

Denique aliquot structuras minus usitatas conferre mihi liceat. Nomen igitur, ad quod spectat pronomen relativum, enuntiato relativo aut insertur aut postponitur, ut animi intentius ad illud advertantur:[1]) I, 2, 13 ,te meminisse decet, quae *plurima* voce peregi'; — I, 3, 43 ,non fixus (erat) in agris, qui regeret certis finibus arva, *lapis*'; — I, 5, 35. 36 ,haec mihi fingebam, quae nunc Eurusque Notusque iactat odoratos *vota* per Armenios'; I, 4, 32 ,quam iacet, . . qui prior Eleo est carcere missus *equus*'; I, 8, 76 ,displicet illi, quaecumque opposita est *ianua* dura sera'; II, 2, 13 ,nec tibi malueris, . . . totum quaecumque per orbem . . arat . . rusticus *arva*.' Ita etiam Lygd. 2, 23; — 3, 17. 30; — 5, 1; et Sulp. el. 1, 19; — 3, 9.

Anacoluthon invenitur II, 3, 36. 37 ,at tu, quisquis is es, cui tristi fronte Cupido imperat, in nostra sint tua castra domo'.

Hyperbaton legimus:

I, 2, 42 ,is sanguine natam, is *Venerem* e rabido sentiet esse mari'.

I, 2, 95 ,stare nec ante fores puduit *carae* *puellae* ancillam medio detinuisse foro'.

I, 3, 56 ,Messalam terra dum *sequitur*que mari'.

I, 4, 2 ,ne capiti soles, ne *noceant*ve nives'.

I, 5, 34 ,tum paret atque *epulas* ipsa ministra ferat'.

I, 6, 81 ,hanc animo gaudente vident iuvenumque *catervae* commemorant merito tot mala ferre senem'.

I, 8, 2 ,quid nutus amantis, quidve *ferant* miti lenia verba sono'.

II, 6, 23 ,haec laqueo volucres, haec *captat* arundine pisces'.

Apud Lygd. haec figura hisce locis exstat:

2, 11. 12 ,ante meum veniat longos incompta capillos et fleat ante meum maesta *Neaera* *rogum*'.

---

[3]) cfr. Draeger, hist. Synt. II, pg. 474.

4, 25. 26 ‚non illo quicquam formosius ulla priorum aetas, humanum nec *tulit* ille decus‘.

6, 19 ‚convenit ex aequo nec torvus *Liber* in illis (est)‘.

Sulp. el. 5, 10 ‚ullae non ille puellae servire aut cuiquam *dignior* illa viro‘.

Figura syllepsis invenitur:

I, 3, 2 ‚ibitis Aegaeas sine me, Messala, per undas, o utinam memores ipse cohorsque mei (sc. eatis)‘.

I, 2, 31. 32 ‚non mihi pigra nocent hibernae frigora noctis, non mihi (nocet), cum . . .‘

II, 1, 90 ‚postque venit tacitus . . . somnus et incerto Somnia nigra pede (veniunt)‘.

II, 2, 15 ‚nec tibi malueris . . arva . . nec tibi (malueris), quidquid . . .‘

Sulp. el. 4, 17 ‚optat idem iuvenis quod nos‘.

Zeugma quod dicitur deprehendimus:

I, 4, 65. 66 ‚dum robora tellus, dum caelum stellas, dum vehet amnis aquas‘.

Bis a plurali ad singularem transitur:

I, 6, 39 ‚tunc procul absitis, quisquis colit arte capillos, et fluit effuso cui toga laxa sinu‘.

II, 1, 11 ‚vos quoque abesse procul iubeo, discedat ab aris, cui tulit . . .‘ Ab oratione obliqua subito transitur in orationem rectam: I, 5, 21 (cfr. Dissen II. pg. 115.)

Aliquoties variandae orationis causa Albius in constructione membrorum grammaticam aut logicam concinnitatem minus curat, velut hisce locis:

I, 2, 31 ‚non mihi pigra nocent hibernae *frigora* noctis non mihi, *cum* multa *decidit* imber aqua‘.

I, 3, 17 ‚aut ego sum causatus *aves*, aut omine diro Saturni sacram me *tenuisse* diem‘.

I, 4, 11 ‚hic placet, angustis *quod* equum compescit habenis: hic *(placet quod)* placidam niveo pectore pellit aquam: hic, *quia* fortis adest audacia, cepit; at (*ille cepit, quod*) illi virgineus teneras stat pudor ante genas‘.

Similiter Lygd. 3, 11 ‚nam grave quid *prodest pondus* mihi divitis auri, *arvaque si findant* pinguia mille boves?‘

4, 30—34 ‚Color (erat) in corpore purpureus, *ut virgo*... *inficitur* teneras ore nitente genas, *aut cum contexunt* amarantis alba puellae lilia et mala rubent‘.

Paneg. 137 ‚*non* te ... *remorabitur Gallia* ... *nec qua* ... Nilus ... profluit ...‘

Haec sunt, quae in arte grammatica Tibulli maxime mihi visa sunt digna, quae componerentur. Quodsi ea quae Tibullianae orationis peculiaria cognovimus, magna ex parte etiam apud poetas illorum carminum, quae immerito Tibulli nomine circumferuntur, repperimus, tamen non raro inter eos discrimen intercedere vidimus. Quod cum non tanti sit, ut eo solo nixi Tibullo aliena abiudicare audeamus, saltem aliorum argumentorum vim adaugere potest. Porro etsi clarum hunc poetam in suis carminibus naturam indolemque romanam diligentissime servavisse et fucatum Alexandrinorum poetarum qui vocantur splendorem respuisse, quin etiam simplicitate ac puritate orationis optimorum sui temporis poetarum plurimos aequasse, non paucis praestitisse constat, tamen non potest non agnosci, multa in eius dicendi genere, imprimis in casuum usu, inveniri graeca vestigia. Obsoletas autem vel inusitatas singulorum vocabulorum formas praeter paucas — (velut I, 3, 76 ‚viscere‘; I, 4, 28 ‚transiet‘; I, 4, 48 ‚atteruisse‘;) — tam religiose aspernatus est, ut vix operae pretium sit, in eas inquirere. In iis autem, quae conscripsi, si quid censebor contulisse ad illustrandum dicendi genus Tibulli, maxime gaudebo.

AMORBACI.
Ex officinâ typogr. Ludovici Volkhardti.